

grege vanitatis quærentium occasionem torpori suo. Et reprehendunt isti operantes, et quasi sollicitos arguere videntur, ut ipsi sint dissoluti. Sic enim vanitas currit, ut nunquam medium limitem virtutis inveniat.

*Et ideo stultus complicat manus suas, et comedit carnes suas, dicens: Melior est pugillus, cum requie, quam plena utraque manus cum labore, et afflictione animi.* Complicat stultus manus suas. Stultus enim est qui sibi nescit providere in posterum. Stultus est qui putat manus otio complicatas impleri divitiis. Complicat manus suas: alteram ad alteram plicat, ne extendantur ad operationem. Complicat manus suas, quasi pactum faciens cum otiositate. Et comedit carnes suas. Putat se corpori suo pacere, quia illud laboribus non affligit, sed inde caro ejus egestate consumitur, unde otio nutritur. Comedit carnes suas. Pascit enim cum stultitia sua, et otiositas sua impinguat eum. Sed tamen caro ejus quantum in utili vacatione pascitur, tantum subsequenti inedia maceratur. Ideo comedit carnes suas, dicens: Melior est pugillus cum requie, quam plena utraque manus cum labore, et afflictione animi. Verum est quod melior est pugillus si deficere nesciret, et eunctis benedictio viduæ Sareptanæ data esset (*III Reg. xvii*). Sed non ad omnes. Elias missus est. Quare ergo stulte dicis meliorem pugillum cum requie, quam plenam utramque manum cum labore? Forsitan consideras quando pugillum habes, et requiem habes; sed non attendis quando nec ipsum pugillum habebis, quid tunc facturus sis, et quam requiem tunc sis habiturus. Ideo nunc comedis pugillum in requie et placet tibi otiositas tua; neque curas nunc interim alium pugillum quærere cum labore, quem comedas, cum iste defecerit. Ideo comedis carnes tuas nunc, quia ipsæ vapulabunt post otium hoc importunum, et sui maceratione post modum exsolvent, quod requies inconsulta expenderit. Et forte putes quod nunc omnia genera vanitatum dicta sunt, et

non est aliud genus vanitatis quod inveniat speculator sub sole. Ideo sequitur:

*Considerans reperi aliam vanitatem sub sole. Unus est, et secundum non habet; non filium, non fratrem, et tamen laborare non cessat; nec sistantur oculi ejus divitiis, nec recogitat, dicens: Cui laboro, et cur fraudo animam meam bonis?* Qui enim unus est, et solus alium successorem non habet, nec filium quem genuit, nec fratrem cum quo genitus est ipse: nam patris successor ipse est. Qui ergo secundum non habet, quem relinquit post se successorem in bonis suis: et tamen congregare non cessat, nec perfruitur iis quæ possidet; sed servat avare quæ cupide congregavit: quid hoc vanius esse potest? Qui enim laborat et fruitur labore suo, aliquem fructum capit; et qui laborat, nec utitur iis quæ labore suo acquirit, et tamen iis quos diligit possidenda ea relinquit, aliquod emolumentum capit laboris sui, desiderium et votum dilectionis suæ. Qui vero laborat, et nec sibi, nec alii, quem diligit, laborat: quare laborat, nisi soli vitio suo cui servit? hic enim soli vitio servit, et non est alius affectus, qui excuset sollicitudinem vanam, cui ignosci possit, nisi solus ille quem vitium genuit. Multi sunt labores hominum, qui alienis relinquuntur, et non capiunt fructum ex eis, qui faciunt illos. Et multi quoque in sapientia laborant, et dant operam, et student multa scire, et dicere plurima, et scripto sensa sua commendant, ut ad posteros transmittantur; nec capiunt fructum ex his omnibus, ut melius sit ipsis, sed inanes remanent a veritate et a dulcedine sapientiæ vacui. Et vanitas est omnis labor eorum, etiamsi veritati approximare videatur. Nesciunt enim homines hujusmodi, cui laborent, et fraudent animam suam bonis; quia, cum ad solam operis magnitudinem intendant, fructum ex eo non capientes, et sibi ex illo nullam utilitatem provenire conspiciunt, et utrum hæc ipsa aliis post se profutura sint, ignorant.

## ADNOTATIUNCULÆ ELUCIDATORIÆ

### IN THRENOS JEREMIÆ

#### SECUNDUM MULTIPLICEM SENSUM ET PRIMO SECUNDUM LITTERALEM

(THREN. I.) *Quomodo sedet sola civitas plena populo?* Quantum ad litteram spectat, desolationem Jerusalem plangit Jeremias, et admirantis vel dolentis vox est ista. Ideo autem ab admiratione inchoat, ut magnitudinem calamitatis ostendat, ac per hoc attentos faciat auditores: ut in quibus sint malis agnoscant, et ad pœnitentiam convertantur. Quomodo sedet sola civitas plena populo? quasi di-

ceret: Civitas, quæ olim in tempore David, et aliorum bonorum regnum qui Deo placuerunt, plena populo fuit, attendite quare nunc sola remansit. Cur enim nisi, quia Deum offenderunt? Solam autem dicit, hoc est desolatam, propter populum abductum captivatum in Babylonem. Vel si ad idem tempus referatur, plena populo est, et tamen sola sedet; quia Deum propitium non habet, quoniam



prodesse non potest multitudo populi, ubi deest auxilium Dei. Quod autem dicit: Sedet, ad dejectionem pertinet, et humiliationem.

*Facta est quasi vidua*, hoc est vivente adhuc viro suo derelicta: et ideo non vidua, sed quasi vidua; quia si pœnituerit, adhuc reconciliari poterit. Propterea vero Deus vir dicitur plebis illius; quia eam ad cultum suum casto sibi amore copulaverat, ne per varias idolorum culturas fornicaretur.

*Facta est quasi vidua domina gentium; princeps provinciarum facta est sub tributo.* Sic erat olim, quod gentes alienigenarum serviebant Judæis, et provinciæ nationum subditæ erant illis; nunc vero ipsi a Deo derelicti tributarii facti sunt nationibus. Commemoratio igitur prioris gloriæ, præsentis miseriæ est exaggeratio.

Secundum allegoriæ sensum Jeremias in Ecclesia quoslibet spiritales viros designat: quicum videant multitudinem hominum ad fidem confluisse, et nomen Christi per totum pene mundum dilatatum esse, nullos autem vel admodum paucos inveniant, qui in veritate Christum sequantur et sincere fidem ejus teneant, omnibus quæ sua sunt quærentibus, dolentes et gementes dicunt: Quomodo sedet sola civitas plena populo? Ut quid tantum in Ecclesia populum cernimus, et tamen solam esse Ecclesiam videmus? quia vix aliquem, qui vere cum Ecclesia sit, invenire possumus. Simile quiddam in Evangelio reperi, constituto in turba Domino undique circumvallante, et premente se populo: *Venit mulier fluens sanguine; et accedens retro tetigit fimbriam vestimenti ejus: et ille confestim: Quis, inquit, tetigit me? (Marc. v.) Tetigit me aliquis? Quia, qui muliere fimbriam contingente, quasi novum aliquid passus interrogat, quis me tetigit, profecto declarat quod prius (quamvis cunctis pungentibus et prementibus) tactus non fuerit. Sicut ergo Christus turba premente intactus permanet, ita Ecclesia corpus Christi inter multos sola sedet; quia fides catholica professores multos habet, imitatores paucos, sicut et tunc, qui Domino prope erant per præsentiam corporalem, non eum contingere poterant; quia longe erant per fidem et dilectionem. Plangit ergo spiritualis Jeremias, et dicit: Quomodo sedet sola civitas plena populo? Quia ubicunque servi Dei sunt sine dolore et gemitu, hæc videre non possunt. Facta est quasi vidua domina gentium; princeps provinciarum facta est sub tributo. Per gentes recte accipimus carnales quosque intra Ecclesiam positos; per provincias vero quoscunque extra Ecclesiam constitutos, sicut sunt pagani, Judæi et hæretici. Tunc ergo sancta Ecclesia domina est gentium, quando carnales quosque intus positos per disciplinæ rigorem ad serviendum subjicit: Princeps provinciarum est, quando extra positos infideles per potentiam, ne nocere possint, repellit. Sed si forte quando peccatis exigentibus a Deo derelinquitur, quatenus nec eos qui intus turbant, co-*

A hibere valeat, nec ab iis qui se foris impugnant, defendere: tunc domina gentium quasi vidua relinquitur, et princeps provinciarum efficitur tributaria. Quando enim fideles, vel ab hæreticis deceptos, vel a potestatibus hujus mundi premio, sive terrore fractos ad infidelitatem trahi conspicit, quid aliud quam alienigenis tributum solvit?

Secundum intellectum moralem civitas significat animam quæ sola sedet, quando a Deo derelinquitur; plena autem populo virtutum, quando a Deo inhabitatur. Si autem civitatem invenimus, cujus desolatio plangitur, ubi Jeremias invenitur? Unusquisque nostrum debet esse Jeremias, et plangere desolationem sui quemadmodum ille plangebat desolationem Jerusalem. Et certe si ille sic plangebat ruinam lapidum; nos multo magis plangere debemus desolationem animarum nostrarum, et dicere unusquisque: Quomodo sedet sola civitas plena populo? Quomodo anima mea desolata est? Quomodo bonum illum habitorem perdidit, quo præsentem olim plena populo virtutum fuit? Facta est quasi vidua domina gentium. Gentes sunt desideria carnis, quæ nobis secundum corruptionem primæ nativitatis ingenita sunt, et legis mentis contradicunt: quibus tunc bene anima dominatur, quando Deo perfecte subjicitur. Princeps provinciarum facta est sub tributo. Per provincias accipere possumus sensus corporeos, quia, sicut in una provincia multi sunt homines, ita quisque sensuum diversos habet motus, et diversas operationes, per quas foris in visibilibus diffunditur: et dum singulorum sensuum appetitus ad nutum rationis moventur, quasi quibusdam provinciis anima principatur. Si ergo anima suo inferiori, hoc est sensualitati principari desiderat, necesse est ut suo superiori, hoc est Deo, se subjiciat, quia nequaquam subitus se a suo inferiori turbari poterit, dum supra se rectorem Deum habeat. Si vero oblita timoris Domini secuta sit concupiscentias suas, aufert Deus gratiam suam ab ea, et tunc ex necessitate desiderii enerviter succumbit, quæ prius cum Deo subjecta esset et ab ipso regeretur suorum sensuum appetitus ad imperium rationis potenter strinxit.

Et nota, quod dicit domina, non princeps gentium, et princeps, non domina provinciarum; quia vitia, quæ naturalia non sunt, comprimi debent; sensus enim quia naturales sunt non comprimi, sed regi necesse habent, ut in illis extirpandis homo esse studeat districtus, in istis moderandis et custodiendis discretus. Sed fit nunquam ut, dum homo licitis carnis suæ desideriis resistere et motus sensuum suorum custodire negligit, ita tandem prava consuetudine alligetur, ut postmodum etiam volens eisdem resistere non possit. Quando ergo vitiis servire cogitur, quibus prius sponte consensit, quid aliud quam prævæ consuetudini tributum solvit? Tria ergo bona et tria mala enumeravit. Bona sunt: civitas plena populo, domina gentium, princeps provinciarum; mala; sola, vidua, tributaria. Sed videamus pri-



num quomodo bona obtineat, postea quomodo ad mala descendat. Priusquam Spiritus sanctus veniat ad cor nostrum, sterilis est anima nostra; cum autem venerit, fecundat eam, ut pariat et nascantur virtutes in ea. Quæ videlicet virtutes, quando adhuc imperfectæ sunt et incipientes, et necdum foras prodire possunt, sed intrinsecus adhuc per gratiam ejusdem Spiritus nutriuntur, ut crescant et robustæ fiant, quid aliud quam parvuli quidam in domo patris educantur, donec ad legitimam ætatem perveniant? Cum vero ad perfectum venerint incrementum, et solido quodam sapientiæ cibo uti cœperint, tunc jam non ut parvuli nutrirî indigent, sed quasi ut quidam populus in civitate sub lege imperatoris sui vivere debent. Sed cum Deus intus præsidens nos regit, tunc caro subjecta foris servit; et quanto humilîus et intus subdimur, tanto robustius foris principamur. Si ergo anima nostra intus plena populo virtutum, quando regem Deum habuit; extra etiam domina gentium, hoc est carnalium desideriorum, et provinciarum, hoc est sensuum corporis, princeps fuit. Nunc autem sola, quia regem perdidit; vidua, quia maritum amisit; tributaria, quia vitiis subjecta servit.

*Plorans ploravit in nocte.* Inculcatio verbi abundantiam doloris designat. Plorans ploravit in nocte, hoc est in tempore quietis, in tempore oblivionis, quando solent homines oblivisci malorum suorum. Et attendite quanta sit miseria illius, cui et tunc dolores deesse non possunt, quando alii a doloribus requiescunt.

*Et lacrymæ ejus in maxillis ejus.* Est aliquando dolor, qui quomodocunque cor tangit, sed lacrymas extorquere non sufficit. Non est talis dolor hujus; lacrymæ enim ejus in maxillis ejus.

*Non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus.* Vel quia in tribulatione positam contempnunt, vel quia in tanto malo subvenire non possunt. Charos autem populi illius vocat prophetas et principes, qui consolari eos consueverant: prophetæ a Deo promittendo auxilium; et principes, contra inimicos purgando et patriam defendendo. Nunc autem plebem in tribulatione positam minime consolabantur, quia et illi Deum iratum prædicabant, et isti inimicis regionem vastantibus, et populum captivantibus resistere non poterant. Vel aliter legi potest: plorans ploravit in nocte, hoc est in secreto, in abscondito: quod amatum [amicum] est flentibus, qui consolari nolunt, sed pascuntur doloribus suis. Vel ideo plebs in captivitate posita in abscondito plorat, quia tristitiam suam manifestare non audeat, propter crudeles dominos, quibus subjecta est, ne erga se majorem eorum excitaret iracundiam, si de sua servitute tristis appareret. Sed tantus dolor abscondi non potest, quia lacrymæ ejus in maxillis ejus, hoc est in aperto, in manifesto, quia ex assiluitate flendi facies intumuit. Et in tantis malis istis, quam consolationem expectare pote-

rant, quibus etiam charissimi consolationem non ferunt!

*Omnes amici ejus spreverunt eam.* Per amicos vult intelligi finitimas nationes olim fœdere junctas populo Judæorum, qui nunc in pressuris constitutum non solum spreverunt, auxilium non ferendo, sed etiam inimici facti sunt persequendo. Secundum sensum allegoriæ nox sunt peccatores, maxillæ vero prædicatores qui cibum verbi Dei exponendo comminuunt, et sic ad infirmos, et sensu hebetes transmittunt. Quando vero Ecclesia in hoc vitæ præsentis exsilio in membris suis perfectioribus lapsus infirmantium plorat, quasi plebs in captivitate posita per noctem lacrymas in maxillis portat. Vel nox hanc ipsam, qua vivimus, præsentem vitam significare potest, quando adhuc invicem conscientias nostras, non videmus. Et, sicut supra diximus, maxillæ significant illos, qui scientiam verbi Dei habent. Tunc ergo sancta Ecclesia per noctem lacrymas in maxillis portat, quando perfecti quique quanto vicinius per illuminationem mentis diem æternitatis conspiciunt, tanto magis præsentis vitæ tenebras plangunt, secundum sententiam Salomonis, qua dicit: *Qui addit scientiam, addit dolorem* [laborem] Non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus (*Eccles.* 1). Charos Ecclesiæ eosdem peccatores accipimus, quos supra per noctem significare dicebamus; quos profecto, dum plangit, diligit, quia nequaquam de eorum perditione plangeret, nisi salutem eorum et conversionem amaret. Sed tunc ab illis consolationem nullam accipit, quando nullus eorum ad pœnitentiam redit, quia consolatio flentium esset conversio peccatorum. Vel chari Ecclesiæ sunt illi beati angelici spiritus, vel animæ sanctorum, ad quorum consortium de hujus exsilio nocte suspirat; qui ei tunc consolationem non ferunt, dum eam adhuc a sua societate peregrinari sinunt. De qua adhuc subditur. Omnes amici ejus spreverunt eam. Quos hic amicos Ecclesiæ dicit, nisi potentes hujus sæculi, qui nonnunquam dum temporaliter sublimatam vident, honorant, et se diligere fingunt, sed dum in pressuris constitutam conspiciunt, persequuntur et spernuntur? Secundum moralem sensum habet anima diem suum, habet noctem suam. Diem habet, quando in lucem contemplationis erigitur; noctem habet quando tentationum caligine tenebratur. Sed in die ridet, in nocte plorat, quia mens, quæ tentationum pondere pressa gemit, sublevata postmodum in gaudio contemplationis hilarescit. Plorat ergo anima in nocte, quando tenebrosam intus conscientiam salubri dolore compungit. Lacrymas in maxillis fert, quando districta foris castigatione carnem affligit. Tunc enim lacrymæ in maxillis sunt quando dolores cordis usque ad macerationem carnis perveniunt. De quo ad majorem adhuc doloris exaggerationem subjungitur:

Non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus. Tribus modis homo a Deo derelinquitur, ali-



quando intus et non foris, aliquando foris et non intus, aliquando et foris et intus. Foris et non intus derelictus fuit Job, qui exterius flagella carnis sustinuit, sed intus constantiam mentis non amisit. Intus et non extra derelictus fuit David, cujus mentem intus sibi libido per consensum subdidit, sed prophetica foris admonitio ad pœnitentiam revocavit. Intus et foris derelictus fuit prodigus ille in Evangelio filius, qui et luxuriose vivens intus defluxit, et fame tabescens foris consolationem non invenit. Sed quos hoc modo Deus deserit, alios ad probationem deserit, ut per tentationem exerceantur; alios ad subversionem deserit, ut per tentationem dejiciantur. Propter quod et Psalmista peccatur: *Ne declines in ira a servo tuo* (*Psal. xxvi*); quasi diceret: Et si me tentari permittis, ne dimittas in tentationem induci, hoc est a tentatione superari. Sed quia divinorum judiciorum profunditatem homo penetrare non potest, tunc maxime quisque in tentatione positus se derelictum esse pertimescit, cum et intus et foris tentationibus sollicitari se conspiciat. Facilius autem foris adversa tolerat, cujus conscientiam intus delectatio peccati non conturbat. Et rursus, facilius intus tentationem sustinet qui foris consolationem habet. Unde et magna tribulatio hujus ostenditur, quæ et intus et foris derelicta esse demonstratur; hoc namque, quod dictum est: Plorans ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus, intus derelictam esse insinuat; quod vero dictum est: Non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus, foris desolatam esse declarat. Sequitur: Omnes amici ejus spreverunt eam, et facti sunt ei inimici. Videte quam multæ sint tribulationes justorum. Fortassis parum erat in pressuris constitutæ, quod consolationem a charis non acciperet, nisi etiam ab amicis persecutionem sustineret. Sed qui sunt amici isti qui nos persequuntur, nisi illi de quibus dicitur in Evangelio: *Inimici hominis domestici ejus?* (*Matth. x.*) Ergo isti sunt inimici nostri, persecutores nostri, domestici nostri, amici nostri, secundum carnis affinitatem nobis propinqui, qui nos per amorem carnis ad vitam præsentem diligunt, sed ambulantes in via Dei contradicunt. Cum enim ab amore hujus mundi nos elongare cupimus, confestim eos qui prius amici videbantur, adversarios invenimus. Primum si quidem ad Deum converti volentes, sub obtentu pestiferæ dilectionis blandis persuasionibus revocare contendunt. Quos si in proposito bono fixos et immobiles viderint, mox quasi adversarios abdicant et spernunt, et nonnunquam etiam odiis atrocissimis insectando et pœnis affligendo de falsis amicis veri persecutores fiunt. Dicat ergo, non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus, quia in tribulatione verba justorum ad consolationem accipere non meretur; omnes amici ejus spreverunt eam, et facti sunt ei inimici, quia ab iniquis contumeliam et contemptum patitur.

*Migravit Judas.* Transivit, recessit, fugit de terra sua in Babylonem, quia sustinere non poterat mul-

A tam servitutem, qua affligebatur a nationibus, existimans tolerabilius sibi fore, si uni genti serviret in terra aliena, quam si omnibus gentibus præda esset in propria.

*Habitavit inter gentes, nec invenit requiem.* Proprium est afflictorum, quod semper præsens periculum gravius judicant. Sicut ægroti in nocte diem expectant, et in die noctem desiderant, et dum semper dolorem transire cupiunt, semper ad dolorem tendunt, sic nimirum populus iste, dum in terra sua affligeretur, fugam appetiit, dum vero in exilio desolatus esset, et vagus oberrans requiem invenire non posset, ad reditum suspiravit. Exprimit autem hic affectum fluctuantium, non quia sponte migraverint, sed quia in angustia constituti in diversam mentem vota mutaverunt.

*Omnes persecutores ejus apprehenderunt eam inter angustias.* Coarctatus undique locum evadendi invenire non potuit; fugiens Chaldæos, incidit in Ægyptios; et cum ab Ægyptiis fugeret, occurrit Assyriis.

Mystice, Judas, qui interpretatur *confitens*, designat quosdam in Ecclesia, qui nomen Christi confitentur; sed quia in amore Christi adhuc firmi non sunt pati pro Christo adversa erubescunt. De quibus dictum est: *Ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt* (*Luc. viii*). Isti ergo propter afflictionem et multitudinem servitutis, in qua dum passionibus justorum communicare nolunt, a consortio justorum alieni fiunt. Habitavit inter gentes. Habitare inter gentes, est vitam et conversationem pravorum imitari. Requiem non invenire, est mundi hujus actionibus implicari; quia enim in hujus mundi actionibus finis non est, sectantibus eas requies esse non potest. Sæpe tamen homo pro amore præsentis vitæ libenter labores tolerat, quos pro amore Dei ferre recusabat. Fit ergo magna exprobratio recedentibus a Deo, simulque excusatio tollitur eis, quoniam aperte monstratur quod sine causa prævaricati sunt, dum utiles labores declinando ad labores inutiles descenderunt. Omnes persecutores ejus apprehenderunt eam inter angustias. Quandiu cor hominis charitate et spe æternorum bonorum dilatatum est, si forte foris tribulatione sustinet, intus tamen angustiam non habet. Quantum ergo bonum perdat, qui fiduciam, quæ est in Deum, perdit, hinc agnoscere potest homo quod semper angustiam in adversis cor patitur, nisi per spem futurorum bonorum dilatetur. Inter angustias, inquit, comprehenderunt eam. Et attende, quæ sint angustie eorum, qui a Deo recedunt nunquam securi sunt, semper trepidant; in prosperitate timent, in adversitate desperant.

*Migravit Judas.* Sunt nonnulli qui, dum peccata sua aspiciunt, transitoria quadam compunctione accensi, usque ad confessionem perveniunt; melioris vitæ vias aggredi proponunt, ac se deinceps ad perpetrata vitia non redituros esse promittunt. Sed quia pro commissis condigna satisfactione semetipsos af-



fligere, et cum Apostolo corpus castigare, et in servitute redigere nolunt (*I Cor. ix*), cito superveniente tentatione ad ea, quæ dereliquerant, peccata revertuntur; quia non facile vitiis resistere possunt, qui vitiorum affectus in semetipsis mortificare negligunt. De quibus hic dicitur: Migravit Judas propter afflictionem, et multitudinem servitutis. Quid enim Judas nisi peccata sua confitentes significat? qui migrant propter afflictionem, et multitudinem servitutis, quando victi post concupiscentias suas abeunt; quia eas per afflictionem, et servitute carnis suæ mortificare pertimescunt. Contra quos Sapiencia dicit: *Fili, accedens ad servitute Dei, sta in timore, et præpara cor tuum ad tentationes* (*Eccle. ii*). Nam qui peccata sua confitentur, et vitam suam emendare instituunt, isti nimirum ad servitute Dei accedunt. Sed ibi stare negligunt, quando adversitatibus victi, a bono proposito cadunt. Hoc est, quod monuit, præpara cor tuum ad tentationes, ut in via Dei ambulantes, ad toleranda adversa parati simus: qui priusquam in via Dei essemus, illicita non perpetrassent intumimus. Habitavit inter gentes, nec invenit requiem. Quid est inter gentes habitare, nisi desideriis carnalibus morem gerere, ubi requies non invenitur; illa nimirum, quam Dominus in Evangelio laborantibus promittit, dicens: *Invenietis requiem animabus vestris* (*Matth. xi*); et de qua peccatori dicitur: *Peccasti, ne adjicias iterum; sed quiesce* (*Eccle. xxi*). Et merito: qui in corpore laborem sustinere noluerunt, ad laborem animæ perveniunt, eorumque mentem furor malorum desideriorum exagitat, quorum carnem debita pœna non castigat. Sic nimirum Samson ille, erutis oculis, ad molam ponitur; quia animus, amisso lumine veritatis, per appetitum terrenorum desideriorum circumfertur. Qui videlicet Samson quandiu capillum capitis habuit, insuperabilis fuit; sed postquam in sinu mulieris obdormivit, et abrasus caput capillum perdidit, continuo ab hostibus capitur, et cæcatur, servituti etiam addicitur. Samson interpretatur *sol eorum*, et significat animum divina cognitione illuminatum. Caput Samsonis principale est mentis. Capillus capitis radius est contemplationis. Sinus mulieris, blandimentum est carnis. Quandiu enim animus contemplationi inhæret, a tentatione superari non potest. Quod si in carnis delectationem resolutus fuerit, ibique obdormierit, continuo veritatis intimæ lumen amittit, et interciso radio contemplationis, pravis motibus repugnare non sufficit; tandemque erutis oculis ad molam ponitur, quando internæ dulcedinis oblitus, per terrena desideria dissipatur. Quid enim est mola, nisi mens instabilis et inquieta quæ, dum semper nititur comprehendere, quod appetit, quasi desideriis suis circumagitata, nunquam requiescit? Bene ergo dicitur: *Habitavit inter gentes; nec invenit requiem. Quia mens, quæ desideria carnis sequitur, tantum ab interna quiete aliena est, quantum foris per labentia dissipatur. Omnes persecutores ejus*

A apprehenderunt eam, inter angustias. Pejores sunt nonnunquam qui a proposito virtutum corruunt quam qui ad virtutis propositum nondum pervenire potuerunt: quia isti ad id, quod nondum habuerunt, se sperant posse pertingere; illi vero tanto longius a salute sunt, quanto evidentius cum desperatione inchoatam virtutem perdiderunt. Magis ergo hi insidiis dæmonum patent, quam illi; quia illos spes futuræ correctionis quodammodo retrahit, istos vero desperatio sua ad ruinam impellit. Propterea de illis, qui post inchoationem boni, ad vomitum redeunt, hic dicitur: *Omnes persecutores ejus apprehenderunt eam, inter angustias. Qui enim sunt persecutores nostri, nisi maligni spiritus et desideria carnis, quæ militant contra nos in membris nostris? Et quæ est angustia, nisi desperatio peccatricis conscientiæ, quæ intus cor stringit? Ille ergo ab omnibus persecutoribus inter angustias comprehenditur, qui propterea dæmonibus suggerentibus peccatum, et propriis desideriis non contradicit in culpa; quia ex lapsu præcedenti, jam desperat de venia. Migravit ergo Judas propter afflictionem, quando hic, qui per confessionem jam vitam suam emendare cœperat, fractus molestia tentationum a proposito cadit. Habitat inter gentes, quando mentem in delectationem carnalium desideriorum figit. Non invenit requiem, quando cor ejus concupiscentia per abrupta vitiorum distrahit. Ab omnibus persecutoribus inter angustias comprehenditur, quando jam desperatione pressus nullis suggestionibus pravis reluctatur.*

C *Totius alphabeti primi epilogus.* Medicus noster ægrotum in manibus tenens, ecce quomodo artis suæ peritiam probat. Primum stupida membra diu palpando ad sensum revocat, et tactu leni vulnera dolentia atrectando ad ictum confirmat, deinde secat, deinde ungit, deinde ligat, deinde fovet, et ad plenam sanitatem reparat. Sic alphabetum istud in quinque partitiones distinguitur. Prima est conquestio; secunda est increpatio; tertia est consolatio; quarta est præceptio; quinta est deprecatio. Per conquestionem palpat; per increpationem secat; per consolationem ungit; per præceptionem ligat; per deprecationem fovet. Conquestio est a principio alphabeti usque ad eum locum, ubi dicitur: *Cui comparabo te* (*Thren. ii*), etc. Ibi increpatio incipit, et tenditur usque ad eum locum, ubi dicitur: *Fecit Dominus quæ cogitavit* (*Ibid.*), etc. Ibi consolatio incipit, et tenditur usque ad eum locum, ubi dicitur: *Deduc quasi torrentem lacrymas* (*Ibid.*). In qua præceptione peccatores informantur ad pœnitentiam, et tenditur usque ad eum locum, ubi dicitur: *Vide, Domine* (*Ibid.*). Et illinc usque in finem deprecatio est, in qua propheta Dominum pro peccatoribus exorat. His breviter prælibatis nunc ipsius conquestionis ordinem inspiciamus. Primum quasi absentes plangit, quia eos, qui in amaritudine erant, tam cito præsentis allocutione sollicitare non debuit, Incipit quoque eam in primis quæ minima sunt plan-



gere, ne animos mœrentium improvisi doloris pondus opprimat, sicque paulatim a minoribus ad majora enumerando progrediens, sensim ad luctum exciat animos auditorum. Primum ergo luget depopulationem regionis; deinde destructionem ædificiorum communium, deinde eversionem sacrarum ædium, deinde contaminationem sanctorum, deinde a rebus inanimatis progreditur ad miseriam hominum, dejectionem scilicet et inopiam deplorandam, et sic tandem finit conquestionem suam.

(THREN. II.) *Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion.* Lamentabile principium ab admiratione inchoat, quod tam subito dejectus est populus ille qui prius usque ad cœlum exaltatus videbatur. Caligo tristitiam tribulationis designat. Filiam, inquit, Sion, ipsam Sion, id est gentem Judæorum, quam paterno affectu dilexit et custodivit; vel ipsius Sion filiam, id est regionem Judæam. Mos enim Scripturarum habet ut metropolitane civitates matres appellentur, et circumjacentes regiones, oppida quoque, et castella et vici, filiae. Incipit ergo, sicut supra dictum est, o longinquo, plangere ipsam, scilicet regionem, ut tandem ad ipsum caput regionis Jerusalem perveniat. Sequitur;

*Et non est recordatus scatelli pedum suorum.* Id est populi, qui servituti ejus humiliter subjectus erat.

*Præcipitavit Dominus, nec pepercit.* Hic distingue.

*Omnia speciosa Jacob destruxit in furore suo.* Hic iterum distingue. Deinde sequitur:

*Munitiones virginis Juda dejecit in terram.* Hic rursum distingue. Deinde sequitur:

*Polluit regnum, et principes ejus.* Quod in præcedenti clausula generaliter sub nomine terræ præmiserat, hoc hic per partes exsequitur speciosa, munitiones, regnum, principes; et vide quomodo lamentum crescit: prius solum, inde terram nominaverat; sed ne forte ipsa terra sterilis, et inculta atque ideo minus plangenda putaretur, subsequenter de ejus opulentia et sublimitate lamentum confirmat. Præcipitavit, inquit, plus est præcipitare quam projicere; et quod est adhuc gravius, nec pepercit. Hoc veraciter in ultima captivitate completum est, quia jam amplius revocandi non sunt, præcipitavit. Quid omnia speciosa Jacob destruxit, munitiones virginis Juda dejecit. Per speciosa intellige opulentiam; per munitiones fortitudinem atque potentiam. Per Jacob et virginem Juda, idem populus signatur. Jacob tamen generale nomen est duodecim tribuum; Juda vero ad duas tribus tantum pertinet. Ideo generali nomine præmisso statim speciale nomen adjunxit; ut duarum se tribuum captivitatem plangere demonstraret. Jacob ergo et Juda idem populus est, Jacob, quia in potentia robustus; virgo Juda, quia in opulentia delicatus. Quid est ergo speciosa Jacob, nisi opulentiam fortium? et quid est ergo munitiones virginis Juda, nisi fortitudinem opulentorum. Sequitur:

PATROL. CLXXV.

*Polluit regnum et principes ejus.* Hoc est virginis Juda. Polluit, dicit, propter gentes inter quas dispersi sunt: ex quarum consortio et ritu profanati sunt, qui prius in Dei protectione securi regnabant. et in principum suorum fortitudine confidebant. Nunc autem regnum totum cum principibus suis polluitur, quia populus, cum protectoribus suis, gentibus subjugatur.

*Confregit in ira furoris sui omne cornu, et simul avertit retrorsum dexteram suam.* Per cornu, fortitudo principum ejus signatur; per dexteram vero Dei, protectio divina intelligitur. Quid est ergo quod de Deo dicitur, confregit omne cornu Israel, avertit retrorsum dexteram, nisi quod in populo prævaricatore, et omnem humanam fortitudinem comminuit, et suam tandem protectionem abstulit, ut omnino desolati ostendantur quibus post humana præsidia etiam divinum adjutorium tollitur. Avertit, inquit, dexteram suam. Dexteram avertit, ne protegeret; et sinistram extendit, ut feriret. Unde sequitur:

*Et succendit in Jacob quasi ignem flammæ devorantis in gyro.* Sicut etiam ignis, accensus late vagatur et consumit omnia, sic hostes Judæorum, postquam in eis omnis fortitudo defecerat, et divinum auxilium subtractum erat, nullo sibi obsidente, universa vastabant.

*Tetendit arcum suum quasi inimicus.* In arcu comminatio intelligitur. Arcum ergo tendere est comminationem amplificare vel differe; qui autem post comminationem percutit, quasi inimicus arcum tetendit. Unde sequitur:

*Firmavit dexteram suam quasi hostis.* Quando in Scriptura dextera Dei ponitur, aliquando protectio, aliquando gravis percussio designatur, eo quod dextera naturali habilitate ad percutiendum sit promptior. Prius ergo Deus dexteram avertit, ne protegeret; postea dexteram firmavit, ut feriret. Quod autem dicitur, firmavit dexteram, gravem indignationem percutientis exprimit. Vel super percussos dexteram firmat, quia plagam, quam semel iratus intulit, sanare amplius non disponit; quod proprie ad ultimam captivitatem refertur. Unde convenienter adjungitur, quasi hostis, qui scilicet ad interniciem percutit, non ad correctionem. Non enim, quasi hostis dexteram firmaret, si illo ad percutiendum percutiente, ipse ad corrigendum percuteret. Unde cum gravi dolore pronuntiandum est, quasi inimicus, quasi hostis. Ille, cujus nec iram reus effugere, nec misericordiam hostis potest impedire. Sequitur:

*Et occidit omne quod pulchrum erat visu in tabernaculis filiae Sion.* Non occiditur, nisi quod vivit. Superius dixerat: *Destruxit omnia speciosa;* sed hic jam aliquid amplius dicere volens, occidit, inquit, omnia pulchra, ut per hanc calamitatem, non tantum divitias, sed ipsas etiam animas abstulisse ostendat. Unde recte subiungitur cum dicitur:

*Effudit quasi ignem indignationem suam.* Non quasi



aquam, sec quasi ignem. Violentia enim aquarum dejicere et dissipare res solet, non consumere. Quarum inundationem per alium prophetam Dominus comminatur, dicens: *Adducam aquas dituvii super terram, ut interficiam omnem carnem, in qua spiritus vitæ est* (Gen. vi). Ignis vero non tantum destruit, sed consumit. Atque ideo recte indignatio Dei, quasi ignis effundi dicitur, quando divina ultio usque ad consumptionem evagatur. Postremo etiam in ipso effusionis nomine violentia, et, ut ita dicam, abundantia tribulationis exprimitur.

*Factus est Dominus velut inimicus; præcipitavit Israel: præcipitavit omnia mœnia ejus.* Hucusque desolationem filie Sion, id est regionis Judæ planxisse videtur. Nunc ad ipsam matrem Sion, scilicet civitatem Jerusalem deplorandam se convertit, dicens: *Factus est Dominus velut inimicus: gravis dolor. Dominus, qui fovere, qui diligere consueverat, factus est inimicus, quia jam non ut pater ad correctionem percutit, sed ut hostis ad consumptionem. Præcipitavit mœnia ejus, id est Sion, dissipavit munitiones ejus. Mœnia in civitate ad decorem fiunt, munitiones ad tutamen. Quid est ergo, præcipitavit mœnia, dissipavit munitiones, nisi sublimia dejecit, et fortia confregit? Quod ergo superius de regione planxerat, hoc idem nunc etiam in Jerusalem factum esse deplorat; ut ibi, per speciosa Jacob, pulchritudinem regionis: hinc per mœnia Sion decorem civitatis; ibi per munitiones virginis Juda, munitiones regionis; hic per munitiones Sion, ipsius Jerusalem munitiones significari intelligas. Unde satis convenienter ibi speciosa tantum, hinc mœnia posuit, quia alius regionis, et alius civitatis decor est. Decor namque regionis magis consideratur in uberitate frugum et fecunditate pecorum. Decor civitatis in sublimitate ædificiorum, et ideo speciosa destrui, et mœnia præcipitari dicuntur, ut omnia vastata cognoscas, et ea videlicet quæ intus civitatem decorabant specie. et quæ foris regionum utilitate.*

*Et replevit in filia Juda humiliatum et humiliatam.* Descripta desolatione regionis, et civitatis quasi ad utramque respondens infert: *Et replevit in filia Juda, id est gente Judæa, quam quasi filiam paterno effectum dilexerat, humiliatum et humiliatam, hoc est utriusque sexus humiliatis illam replevit, ut humiliatis, id est dejectis plena sit. Vel per humiliatum, ordinem prælatorum accipere possumus; per humiliatam, plebem subiectam. Contra quod superius in vastatione regionis dixerat: Polluit regnum et principes ejus, ut idem per regnum quod per humiliatam, idem per principes quod per humiliatum intelligamus.*

*Et dissipavit quasi hortum tentorium suum.* Nunc ad destructionem sacrarum ædium deplorandam accedit. Et quantum ad litteram spectat, per tentorium et tabernaculum significat templum Domini, quod erat in Jerusalem, quod primum a Chaldæis, deinde a Romanis subversum est. Ideo au-

tem templum tentorium sive tabernaculum vocat, quia vice illius antiquitus filii Israel primum in deserto, ac postmodum in Silo ad cultum Dei tentorio, et tabernaculo fugebantur. Cæterum tentorium dicitur proprie, ubi cortinæ funibus ad palos terræ affixos extenduntur. Tabernaculum autem quibusdam tabulatis construitur, sicut de tabernaculo foederis scriptum est, quod Moyses in deserto extruxit, cui extrinsecus vela oppansa sunt et cortinæ ex omni latere distentæ. Dicitur ergo de subversione templi, dissipavit tentorium suum.

*Demolitus est tabernaculum suum.* Secundum litteram autem congrua sunt verba, ut id quod expansum est, dissipetur; id quod terræ fixum est, quadam quasi suffossione demoliat. Quasi hortum, inquit, dissipavit tentorium suum. Quod Isaias his verbis ante prædixerat: *Derelinquetur filia Sion quasi umbraculum in vinea; et sicut turgurium in cucumerario* (Isa. i). Ac si diceret: Sicut ab horto et a vinea, postquam collecti fuerint fructus, custodia hominum tollitur, sic a populo isto, quia a fructu boni operis sterilis est, custodia divina auferetur, ut sit in dissipationem et direptionem inimicorum suorum. Vel, per hortum, locum voluptatis et luxuriæ intelligere possumus. Unde per legem prohibitum ne hæus in atris Domini plantaretur, quia et idolorum cultores sub frondosis arboribus et in locis virentibus sacrificare solebant, lasciviæ et voluptati servientes. Dicit ergo, dissipavit quasi hortum tentorium suum, ac si diceret: Quia in locum sanctitatis impudicitia, et voluptas introiit, ideo dissipatio et desolatio venit. Sequitur:

*Oblivioni tradidit Dominus in Sion festivitatem et Sabbatum.* Id est non solum repulit hæc, sed post repulsam amplius non requirit. Quod proprie ad ultimam captivitatem pertinet, quando jam manifestata gratia, prioris legis observantiæ penitus eversæ sunt et repudiatæ. Sequitur:

*Et in opprobrium et in indignationem furoris sui regem et sacerdotem, Subauditur, tradidit.* Regi honor debetur, devotio in sacerdote diligitur. Ac nunc pro honore opprobrium regi, ac pro devotione indignatio redditur sacerdoti, ut omnis Judaici populi excellentia et religio destructa ostendatur. Sequitur.

*Repulit Dominus altare suum.* — Hic jam de contaminatione sanctorum agere incipit. Repulit Dominus altare suum, implacabilem se esse ostendit, quando etiam illud, unde placari consueverat, abjicit. Sequitur:

*Maledixit sanctificationis suæ.* Id est sacrificiis, quibus offerentes sanctificare prius solebant. Quod nunc plane impletum cernimus, quando jam legales hostiæ, quæ suo tempore offerentes sanctificare poterant, si post impletionem gratiæ teneantur, amplius Deum ad iracundiam provocent. Sequitur:

*Tradidit in manus inimici muros turrum ejus.* Id est sanctificationis; ut enim ostenderet se amplius



priora illa sacrificia non recipere, ipsum locum in quo offerri consueverant, funditus everti permisit, quatenus ex hoc liquido cunctis patesceret quod desolato priore loco, ritus prior cessare deberet. Quod autem dicit, muros turrium, quantum ad litteram sic intelligendum est ac si diceret, turres munitas ejus intransitive, hoc est non solum muros civitatis extrinsecus, sed etiam muros turrium intrinsecus. Unde sequitur :

*Vocem dederunt in domo Domini sicut in die solenni.* Ipsi videlicet inimici nullo sibi obstantes, universa occupabant, et se prevaluisse gaudebant.

*Cogitavit Dominus dissipare murum filiae Sion.* Ne hæc tanta mala inconsiderate Deus intulisse videatur, ante factum cogitasse, id est deliberasse dicitur. Per murum filiae Sion, robur et munimen Judaici populi intelligere debemus. Sequitur :

*Tetendit funiculum suum.* Ut merita mensuraret, et unicuique secundum opera sua redderet. Vel tetendit funiculum, id est poenam, quæ peccatores ligaret, protraxit diu per patientiam expectans; sed tanto gravius tandem feriens, propter quod sequitur :

*Non avertit manum suam a perditione.* Id est quia neminem invenit liberum a culpa, neminem reliquit immunem a poena. Sequitur :

*Luxitque antemurale, et murus dissipatus est.* Ita ambigue positum est pariter, ut ad utrumque referri posse videatur, videlicet quod vel antemurale pariter cum muro dissipatum sit, vel quod murus pariter cum antemurali luxerit. Possumus autem non incongrue per antemurale custodiam hominum, per murum autem intelligere custodiam angelorum, quæ utraque a populo Judæorum justo Dei judicio ablata est, ut nec homines foris, nec angeli intus ab instanti tribulatione populum, a Deo derelictum defendere possent, secundum quam acceptionem conveniens est distinctio quod antemurale luxisse et murum dissipatum esse deplorat, ut videlicet illos, id est, bonos prælatos etiam subversione populi sui per compassionem tribulatos, istos vero, id est, angelos ab eorum custodia sublatos ostendat.

*Defixæ sunt in terra portæ ejus.* Id est Sion. Ad monumentum perpetui doloris, post eversionem omnium signa ruinæ permanent. Neque enim portæ ad munimentum, sed in signum calamitatis permanent, quæ, ut late pateant, in terra fixæ sunt, et ne defensaculum præbeant, perditis et contritis vectibus, seras non habent. Sequitur :

*Reges ejus, et principes ejus in gentibus.* Subauditur, perdidit et contrivit : et respicit ad id, quod dixerat : *Portæ et vectes* (*Ezech. xxxviii*), id est reges et principes, qui munimen et fortitudo populi erant, dejecti et abjecti, et contriti sunt. Sequitur causa tanti mali, quia :

*Non est lex Domini apud eos.* Id est quia prævaricatores legis sunt, et quia :

*Propheta ejus non invenerunt visionem a Domi-*

**A** no. Id est quia illos prophetas audierunt, qui ex Spiritu Domini locuti non sunt.

Quomodo obtexit, etc. Sub unius gentis specie totius humani generis casum deplorat. Primus homo tribus modis percussus est, ignorantia, concupiscentia, mortalitate. Mortalitas autem mors ipsa cum universis defectibus et poenis ipsam mortem præcurrentibus intelligitur. Dicit ergo : Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion ; quia hominem, quem ad contemplandum lumen eternitatis creaverat, peccantem deserens, in tenebris ignorantie reliquit : Sion namque interpretatur specula, ubi hostium incursus de longe prospicitur. Primo autem homini dictum est : *De ligno scientiæ boni et mali ne comedas : quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.*

**B** (*Gen. ii*). Homo ergo quasi in quadam specula erigitur, quando imminentiæ mali periculum per circumspectionem cavere jubetur. Quid ergo per filiam Sion, nisi animam hominis nondum adhuc usu circumspectionis roboratam accipere debemus? Nam, sicut dicitur filia Babylonis, id est filia confusionis, et filia Hierusalem, id est filia contemplationis, sic dicitur filia Sion, id est filia speculationis, quasi in speculatione adhuc tenera et novella, et necdum in virile robur solidata. Ac si diceret : Vel hoc furorẽ judicantis mitigasse potuit, quod ille, qui deliquerat, necdum usu et experimento obediendi in præcepto solidatus fuit. Quo modo obtexit, inquit, quod tegitur, absconditur quidem, non aufertur ; quia humanæ rationis per peccatum in homine obscuratum est, non ablatum. Quomodo obtexit, textus superiora, hoc est coelestia videre posset. Sequitur : projecit de cælo terram inclytam Israel. Israel interpretatur *vir videns Deum*. Primus autem homo, antequam peccaret, Israel fuit, quia per contemplationis internæ præsentiam Deum vidit. Per terram ergo Israel congrue corpus hominis accepimus ; quod Deus quidem per creationem de terra sumpsit, sed per immortalitatem quodammodo ad cælum transtulit, quod quia rursus exigente peccato hominis in mortem dissolvi jussit : quasi de cælo, id est de incorruptione ad corruptionem terram Israel projecit. Recte autem propheta plangendo casum hominis, primum caliginem mentis, ac deinde corruptionem carnis commemorat : quia merito præcedere debuit in poena, quæ præcessit in culpa : ut sicut caro, nisi prius corrupta mente in delectationem illicitam non venisset, ita quoque, nisi prius per ignorantiam cæcata mente, caro in corruptionem non descenderet ; quia et ipse Adam prius, dum quæreretur, se abscondit ac deinde inventus sententiam mortis accepit. Sequitur :

Et non est recordatus scabelli pedum suorum in die furoris sui. Per pedes Domini, præcepta ejus intelliguntur, vestigia pedum, cognitio præceptorum. Per scabellum pedum intelliguntur ii, qui per obedientiam præceptis Dei subjecti sunt ; quasi ergo in scabello pedes Deus posuit, quando primo homini



ab obediendum vitæ præceptum injunxit ; sed hujus scabelli in die furoris quasi recordatus non est : qui cum magna districtione ab eo pœnam transgressionis exigebat, cui prius mansuete obediendi præceptum dederat.

Præcipitavit Dominus, nec pepercit. Præcipitatio ad magnam et ad subitam ruinam pertinet. Videte quam magna ruina de paradiso in hunc mundum, de hoc mundo in infernum, de immortalitate in mortem, de morte in damnationem. Unde bene adjungitur : Nec pepercit. Quasi enim peccanti pepercisset si reatum ejus per pœnam examinaret, sed ipsum per mortem carnis in corruptionem ire non compelleret ; vel si post mortem carnis, saltem in damnationem animam etiam non præcipitaret. Sequitur : Omnia speciosa Jacob destruxit in furore suo, Jacob interpretatur *supplantator*. Et homo quodammodo non per pugnam, sed per gratiam diabolum supplantavit, quando illuc, unde diabolus ceciderat, ascendendi potestatem accipit. Iste Jacob in prima sui conditione intus, et extra speciosus fuit cujus conscientia per innocentiam, et caro per castitatem floruit. Sed destructa sunt speciosa Jacob ; quia et castitatis decorem concupiscentia polluit, et conscientiam reatus sui sceleris fœdam pariter et tenebrosam fecit. Vel speciosa Jacob habuit quia eum intrinsecus aspectus invisibilium honorum lætificabat, et foris rerum visibilium pulchritudo ad Creatoris sui gloriam excitavit. Sed destructa sunt speciosa Jacob, quia Deus in ultionem primi reatus a mente ejus invisibilium honorum cognitionem abscondit, et visibilium rerum aspectum ab illa spiritali jucunditate in concupiscentiam carnis commutavit. Unde bene adjungitur : Munitiones virginis Juda projecit in terram. Quid enim per virginem Juda, nisi castam animæ intentionem accipimus : quæ videlicet intentio, cum ubique ad arbitrium divinæ voluntatis dirigitur, quid aliud quam Domino confitetur ? Cujus intentionis munitiones fuerunt bona desideria animæ et naturales appetitus corporis. Quandiu enim nec caro foris, nec anima intus aliquid inordinatum appetit, quasi munita, et secunda intentio hominis in omni actione fuit. Sed cum naturalia desideria in illecebrosos appetitus et terrenos affectus degeneraverunt, quasi munitiones virginis Juda in terram projectæ sunt, ut jam nunc in bonis intentio hominis secunda non sit, cum facile e vicino per inordinata desideria corrumpi ac decipi possit. Unde subjungitur : Polluit regnum, et principes ejus. Regnum animæ caro fuit, quandiu ipsa in se Deum per amorem regnantem habuit. Principes regni, virtutes animæ fuerunt, per quas anima motus carnis et appetitus rexit. Postquam autem spiritus contra Deum tumuit, statim contumaciam contradictionis in carne sua invenit ; quia Deo disponente actum est, ut munditia castitatis in pollutionem concupiscentiæ transiret, ut ubi prius humilis gloriabatur, tibi superbus erubesceret. Regnum ergo ejus, hoc est animæ et principes ejus, scilicet

A regni, Deus polluit ; quia ex concupiscentia, per quam carnis integritas violata est, etiam virtutes animæ maculari sinit.

Confregit in ira furoris sui omne cornu Israel, etc. Per cornu fortitudo virtutis signatur, per Israel homo, per dexteram Dei protectio, per inimicum diabolus, per faciem inimici instantia diaboli per ignem concupiscentia, per gyrum corpus quod circumdat animam. Cornu cum animali non nascitur, et tamen inest ei naturaliter causa unde cornu oriatur. Sic anima non ex natura, sed ex gratia virtutes habet, quas tamen virtutes eadem gratia, non sine naturali consensu liberi arbitrii in homine operatur. Sed quia homo libertatem arbitrii peccando perdidit, et Deus homini peccanti B juste gratiam suam subtraxit, quasi omne cornu Israel confractum est ; quia et jam habitas virtutes perdidit, et eas etiam, quas habiturus erat, obtinere non meruit. Est etiam aliud quod in cornu notare possumus. Cornu namque crescendo ex humore carnis indurescit, et rationalis creatura cooperante gratia ex promotione virtutum robur accipit. Item sicut cornu caput et pedes munit, sic virtus mentem intrinsecus, et foris opera a læsione custodit. Avertit retrorsum, etc. Primum hominem in via obedientiæ ambulantiem diabolus sequebatur ut eum revocaret, sed accessum nocendi ad hominem habere non potuit, quia dextera Dei inter eum et hominem fuit. Cum vero homo ad suasionem diaboli sponte se convertit, statim Deus C dexteram suam retrorsum a facie inimici avertit, ut eum jam instantem a læsione hominis non repelleret ; quatenus transgressionis suæ culpam prævaricator vel in pœna sentiret. Sequitur : Et succendit in Jacob quasi ignem, etc. Ignis est concupiscentia carnis, quam nascendo contrahimus ; et quandiu in hac concupiscentia vivimus, quasi quemdam domesticum hostem intra nosmetipsos portantes toleramus. Iste ignis semper in nobis est, sed non semper ardet, non semper flammam habet. Tunc autem ignis in flammam accenditur, quando peccati fomes usque ad delectationem et consensum suscitatur. Quæ videlicet flamma in gyro devorat ; quia sicut linea vestimentum consumit, ita quoque integritatem carnis, qua anima vestitur, prava delectatio corrumpit. In gyro devorat, quia per omnes sensus corporis ad castitatem animæ violandam circumquaque virus corruptionis infundit, vel per gyrum mundum istum accipere possumus. Concupiscentia autem carnis in gyro devorat ; quia per omnia hujus mundi oblectamenta discurrens, desideria sua mala satiare laborat. Tetendit arcum suum, etc. In arcu comminatio accipitur : in dextera firmata vehemens percussio notatur. Deus ergo et arcum tendit, et dexteram firmat quia peccandi homini, et in futuro pœnas perpetuas comminatur : et interim præsentibus etiam flagellis reatum ejus ulciscitur. Quod tamen quoniam non ex ira, sed ex misericordia operatur, non inimicus sed quasi inimicus, et quasi hostis dicitur. Quod legi etiam aliter potest. Arcum



Deus tendit, quando comminatur peccatoribus pœnam, et tamen adhuc exspectando differt sententiam: sed quia quosdam differt ut correcti emendentur; quosdam vero, ut perseverantes gravius puniantur in iis quos ad emendationem exspectat arcum tendit, non quasi inimicus, sed quasi propitius; in iis vero, quos ad cumulum damnationis vivere sinit, quasi inimicus arcum tendit. Similiter in iis, quos per flagella corrigit, firmat dexteram, sed non quasi hostis; quos autem ad intercessionem percutit, in iis dexteram firmat quasi hostis.

Quod autem dicitur, firmavit dexteram, sic intelligi potest. Primo namque homini quasi dexteram Deus imposuit, quando peccanti plagam mortalitatis infixit; quam dexteram Deus adhuc confirmat, quoties primo vulnere quotidiana flagella supra adjicit. Quod vero supradixit. Avertit dexteram suam, et hic dicit, firmavit dexteram suam, contrarium non est. Avertit enim, ne protegeret; convertit, ut percuteret; firmavit ut flagella multiplicaret, quatenus præsens pœna percussos doceat, qualis eos, qui in malo perseveraverint, pœna in futuro exspectat. Unde dicitur in psalmo: *De disti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus, et liberentur dilecti tui (Psal. LIX)*. Sequitur: Et occidit omne, quod pulchrum erat visu in tabernaculis filiæ Sion. Tabernaculum animæ corpus est, quia illud sensificando inhabitat. Tabernaculum etiam animæ conscientia est, quia in illa quisque secum cum domesticis cogitationum suarum pausat. Omne igitur quod pulchrum erat visu in tabernaculis filiæ Sion, Dominus occidit, quia et foris omnem vigorem, et pulchritudinem corporis humani ab illo immortalitatis statu arescere fecit, et intrinsecus conscientiam hominis rectorum cogitationum honestate spoliavit. Vel per omne quod pulchrum erat accipere possumus foris disciplinam, et decorem bonorum operum, et intus (ut dictum est) munditiam bonarum cogitationum. Et nota quod non occiditur nisi quod vivit. Vivunt bona opera, quando recta intentione fiunt; vivunt bonæ cogitationes, quanto amoris intimi affectum sentium. Cavendum autem est, cum Deus ab homine virtutes perimere et auferre dicitur, quatenus hoc non agendo, sed permittendo facere creatur. Facit enim, quia justo iudicio fieri permittit. Sequitur: Et effudit quasi ignem indignationem suam. In effusione abundantia signatur; ac si diceret, non stillavit, sed effudi, quasi ignem, non quasi aquam, sed quasi ignem. Ignis enim dura et fortia consumit; quasi ignis ergo indignatio effunditur, quia in vindictam prævaricationis peccatoris, non solum caro, sed anima quoque cruciatur. Vel quia ignis lutum indurat, dura vero aut liquefacit, aut incinerat: quasi ignis indignatio effunditur, ut in una eademque pœna duri et rebelles confundantur et pereant; qui vero suam infirmitatem humiliter agnoscere voluerint, confirmentur, et salvi fiant.

Factus est Dominus velut inimicus. Non fecimus

quare inimicus sit, qui prius inimicus non fuit quia non in quod ipse creavit, sed quod nos fecimus, odit. Sequitur: Præcipitavit mœnia ejus: dissipavit munitiones ejus. Alia sunt mœnia animæ, aliæ sunt munitiones. Mœnia ab decorem, munitiones ad tutamen pertinent. Sic sunt quædam dona gratiarum, quæ ornant, ut est prophetia, genera linguarum, interpretatio sermonum; quædam quæ muniunt, ut est fides, spes, charitas. Illa, si adsint, præbent virtutibus ornamentum; ista si desint, periculum. Illa, et si desint, salutem tamen non impediunt; sine istis homines ad salutem pervenire non possunt. Bene autem prius dicitur: Præcipitavit mœnia, ac deinde subjungitur dissipavit munitiones, quia, cum peccatrix anima relinquitur, prius auferuntur ab ea dona quæ ad manifestationem data sunt, ac deinde fidei, spei et charitatis fundamenta evertuntur. Præcipitavit, inquit, mœnia. Quod sublime est, præcipitatur; quod solidum est, dissipatur; quia, ut dictum est, mœnia, ad gloriam, munitiones pertinent ad tutelam. Sequitur: Et replevit in filia Juda humiliatum et humiliatam, id est, spiritum et carnem in homine miseria et dolore replendo humiliavit, ut qui bene humiliari noluerunt per virtutem, humiliarentur per afflictionem. Vel per humiliatum et humiliatam sensum et cogitationem accipere possumus, ut intus et foris contumeliis agatur, donec confusa ad pœnitentiam redeat. Ad populum etiam Judaicum hos specialiter referri potest. Considerans namque propheta qualiter Deus post ejectionem primi hominis, misereri volens humano generi, solum hunc populum elegit, ut in eo nostræ salutis exordia præpararet, quomodo illum datæ legis mandatis coluit, et sua ubique protectione sublimavit, et post hæc omnia peccantem et prævaricantem abiecit, et ita primæ adjectioni secundam adnumerans, plangit dicens: Factus est Dominus velut inimicus, præcipitavit mœnia ejus, dissipavit munitiones ejus. Quando enim a populo Judæorum prophetiam, et doctrinam, et miraculorum signa abstulit, quasi mœnia ejus præcipitavit. Quando vero per infidelitatem eos excæcari permisit, et a spe permissionis et hæreditatis suæ alienos, quasi munitiones ejus dissipavit. Sequitur: Et replevit in filia Juda humiliatum et humiliatam. Quid per humiliatum, nisi plebem subjectam accipiemus? Utrique enim in adventu Christi humiliati sunt, quia veritatem quam venturam prædicaverant et crediderant, præsentem negaverunt. De quibus adhuc subditur.

Et dissipavit quasi hortum tentorium suum, etc. Tentorium deforis est, tabernaculum intrinsecus: sicut et tabernaculum fœderis, in quod Moyses intravit ad consulendum Dominum. Recte ergo per tentorium populus, per tabernaculum ordo prælatorum signatur. Quando enim populo illum antiquum Deus ita temporali gloria sublimavit, quasi tentorium ad decorem expandit, Cum vero quos-



dam ex illis ad cognitionem secretorum suorum illuminans, etiam familiari alloquio suo dignos habuit, quasi tabernaculum ad in habitandum extruxit. Sed, quia postmodum in carne veniens populum illum, exigentibus peccantis ejus, et cognitione veritatis privavit, et deinde per Romanos in omnes mundi nationes dispersit; recte nunc dicitur: Dissipavit tentorium suum, demolitus est tabernaculum suum. Et notandum quod tentorium non demolitum, sed dissipatum dicit: et tabernaculum non dissipatum, sed demolitum asserit. Quod enim demolitur, sensim et latenter destruitur. Quid ergo hoc loco per demolitionem, nisi latens odium exprimitur? Tabernaculum ergo demolitum est, et tentorium dissipatum, quia nisi Scribas et Phariseos doctores populi in necem Salvatoris compulisset invidia, populum ipsum tam crudeliter non dissipasset captivitatis vindicta. Et videte qua similitudine tentorium dissipatum dicat: quasi hortum, inquit. Sicut hortus dissipatur, quando, collectis ex eo fructibus, sepis destruitur, et custodia removetur; sic ille populus, postquam fructum justitiæ ferre desiit, statim custodia et tutela Dei ab eo recessit; secundum vaticinium Isaie dicentis: Derelinquetur filia Sion sicut umbraculum in vinea, et sicut tugurium in cucumerario. Et ipse Dominus et Evangelio Judæis loquitur, dicens: *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructum ejus* (Matth. XXI). Hortus enim sterilis, et non faciens fructum, id est Synagoga Judæorum, dissipatur: et hortus fructum faciens, id est Ecclesia gentium, munitur atque concluditur, sicut in Cantico canticorum dicitur: *Hortus conclusus, soror mea, hortus conclusus, fons signatus* (Cant. IV). Bene autem sororem vocat, quam hortum conclusum nominat, quia Ecclesia gentium per fidem de Synagoga nata est, de qua etiam Christus carnem sumpsit: sed tamen eandem Synagogam, quia fructum justitiæ non habebat, quasi hortum sterilem dissipavit. Mater ergo Christi, hoc est Synagoga, hortus est dissipatus. Soror Christi, id est Ecclesia, hortus conclusus. Sequitur: Oblivioni tradidit Dominus in Sion festivitatem, et sabbatum. Legales enim observantiæ umbræ quedam fuerunt futurorum; et ideo postquam ipsa Veritas venit, jam ultra Deus ad cultum suum priora non admittit. Quasi enim oblitum dicit, quia amplius illa sibi exhiberi non præcipit. Sequitur: *In opprobrium et indignationem furoris sui regem et sacerdotem*. Subauditur, tradidit. His duabus personis regebatur populus ille, legali scilicet et sacerdotali. Et convenientia sunt verba: Honor ad regem, devotio pertinet ad sacerdotem; nunc autem contra honorem opprobrium contra devotionem indignatio ponitur. Et sacrificiis eorum Deus non placatur, sed irascitur. Sicut per Isaiam dicitur: *Sanguinem hircorum, et vitulorum, et arietum notui: incensum abominatio est mihi. Cum veniretis ante conspectum meum, quis quaesivit hæc de manibus vestris?* (Isa. I). Et per Psal-

**A** mistam: *Non accipiam, inquit, de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Immola Deo sacrificium laudis, et redde ultissimo vota tua* (Psal. XLIX).

Si autem ea, quæ supradicta sunt ad moralem sensum convertimus, per tentorium non incongrue accipere possumus bonam actionem, quæ foris ad decorem panditur. Per tabernaculum vero conscientiam, in qua quisque familiari quadam et domestica conversatione secum commoratur. Nam quod tabernaculum conscientiam significet, Psalmista manifestat cum dixit: *Vox exultationis et salutis in tabernaculis justorum* (Psal. CXVII). Justi namque quasi in tabernaculis vocem proferrunt quia de bonis actibus sui intus in conscientia soli Deo innotescere volunt. Quasi ergo tentorium dissipatur, quando boni operis nitor a statu rectitudinis vento adulationis conquassatus impellitur. Tabernaculum autem demolitur, quando munditia conscientie illicita delectatione latenter corrumpitur. Et recte dicitur: Dissipavit quasi hortum tentorium suum. In hoc enim quisque sterilis esse incipit, quod de bono opere suo in oculis hominum gloriari quærit, ut jam de reliquo ad bene operandum tutela Dei indignus sit, quia germinis sui fructum, id est operis sui mercedem apud Deum non custodit. Hoc etiam in tentorio notare possumus: quod sicut tentorium primum funibus extenditur, deinde ipsi fanes palis affixis terre retinentur, ite quoque bona operatio per intentionis perseverantiam tendi debet, ne laxetur: et ipsa intentio, ne a proposito suo lentescat, per spem æternæ remunerationis, quasi palis quibusdam soliditati terre affixit, confirmari. Sequitur: Oblivioni tradidit Dominus in Sion festivitatem, et sabbatum. Quid per festivitatem, nisi gaudium internum; et quid per sabbatum, nisi quies mentis accipitur? Duo enim supradixerat scilicet, dissipavit tentorium suum, et demolitus est tabernaculum suum. Ad hæc duo respondere videtur. Ac si diceret: Quia dissipavit tentorium suum, ideo oblivioni tradidit festivitatem. Quia vero demolitus est tabernaculum suum, ideo oblivioni tradidit sabbatum. Nam quanta sit interni gaudii dulcedo, non meminit quisquis in laudibus hominum et in rebus transitoriis gaudium quærit; et nequaquam vera pace intus mens fruitur, cum per incentiva vitiorum et affectus carnalium desideriorum conturbatur. Sequitur: Id opprobrium et in indignationem regem et sacerdotem. Anima nostra et rex debet esse et sacerdos. Rex, quia regere debet carnem suam. Sacerdos, quia Deo jugiter offerre debet devotionem suam. Sed rex in opprobrium traditur, quando anima cerni suæ subiecta turpibus desideriis famulatur. Sacerdos in indignationem traditur quando ab illa quam erga Deum habere consueverat devotione obstinata mens ex peccati consuetudine obduratur. Deus ergo non dissipat, nos demolitur: in oblivionem, in opprobrium, in indignationem tradere dicitur, quia afficta mens hoc quasi a Deo fieri conqueritur, quod ab ipso, iudicio suo



permittente, non impeditur. Permittit enim ut nos dissipemur ut dissipati ejus obliviscamur, ut obliti ejus in opprobrium, et in indignationem veniamus. Sequitur :

Repulit Dominus altare suum. Supra de excecatione Judæorum locutus fuit; nunc quo ordine eadem facta sit subjungit, dicens: Repulit Dominus altare suum. Quod est enim altare Dei, nisi Christus? Quia cum per ipsum mediatorem humano generi Deus placatus redditur, quasi propitiationis nostræ sacrificium super ipsum Deo offertur. Hoc altare Deus Pater quasi repulit, quando Christum usque ad crucis patibulum in manibus persequentium Judæorum in passione dereliquit. Sanctificationi quoque suæ Deus Pater maledixit, quia ipse quem singulariter sanctificaverat, et ad sanctificandos nos miserat, prius maledictionis nostræ pœnam expiandam imposuit, ac deinde nos a reatu maledictionis absolutos sanctificationis illius participes fecit. Sequitur: Tradidit in manus inimici muros turrium ejus. Muri turrium, qui in civitate eminentiores sunt, apostolos designant, qui tunc in sancta Ecclesia et dignitate eminentiores, et constantia fortiores fuerunt. Sed isti quoque in manus inimici traditi sunt, quia, cum Christum mori cernerent, quodammodo per infidelitatem corruerunt. Sequitur: Vocem dederunt in domo Domini sicut in die solemni. Domus Domini Ecclesia intelligitur. Vocem ergo exsultationis inimici in domo Domini dederunt, quando, ipso pastore mortuo, et dispersis ovibus, omnino se prævaluisse gloriati sunt. Vel per domum Domini ipsum Christum accipere possumus, sicut dicit Apostolus: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi (II Cor. v)*. In domo itaque Domini vocem inimici dederunt, quando ipsi in cruce pendenti insultabant, dicentes: *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. Si Filius Dei est, descendat nunc de cruce, et credimus ei (Matth. xxvii)*. Unde bene adjungitur, sicut in die solemni. Solemnitas enim generalis et communis est festivitas. Quasi ergo in die solemni vocem dant, qui impleto gaudio nihil jam desiderii suis superesse exsultant. Repulit Dominus altare suum. Altare Dei in nobis fides nostra est, supra quam sacrificium boni operis immolamus. Quod videlicet altare tunc repellitur, quando fides nostra bonis operibus nudata, a Deo reprobat. De qua adhuc subditur: Maledixit sanctificationi suæ. Sanctificatur quippe fides nostra, quando ei per incrementa virtutum merita augentur; sanctificationi maledicitur, quando amissis virtutibus, fides ipsa pravis actionibus violatur. Unde adhuc additur: Tradidit in manus inimici muros turrium ejus. Quid enim muri turrium, nisi eminentiores virtutes significant, quæ et solidæ sunt per fortitudinem, et erectæ per circumspersionem? Muri ergo turrium in manus inimici traduntur, quando, subjecta sibi per consensum iniquitatis anima, etiam summis virtutibus adversarius dominatur, De quo recte subinfertur. Vocem dederunt

A in domo Domini. Tunc enim in Domo Domini inimici vocem dant, quando maligni spiritus intra conscientiam admissi, non jam foris pulsantes renitenti peccatum suadent, sed intus præsidentes consentienti imperant. Unde pulchre per similitudinem subinfertur: Sicut in die solemni. Tunc quippe diabolus plene exsultat, quando nihil in nobis invenit quod ejus voluntati contradicat.

Cogitavit Dominus, etc. Deus quasi homo factum cogitare dicitur, ne quid temere et absque deliberatione facere credatur. Deliberatio autem Dei nihil aliud est quam patientia et justitia ejus. Patientia, qua delinquentes: ut corrigantur, diu tolerat; justitia, qua perseverantibus digna meritis recompensat. Unde subjungitur: Tetendit funiculum suum. Quid est enim super delinquentes funiculum tendere, nisi prius modum et quantitatem delicti diligenter examinare; ac deinde, secundum mensuram culpæ, mensuram moderari vindictæ? Propter quod subditur: Et non avertit manum suam a perditione. Ac si diceret: Neminem excepit a pœna, quia neminem invenit liberum a culpa. Quod legi etiam aliter potest. Cogitavit Dominus, etc. Per cogitationem quippe Dei, occulta dispensatio incarnationis ejus intelligi potest. Et quia in carne veniens, occulto quodam consilio Judæos repulit, ut gentes ad fidem colligeret, quasi prius murum filice Ston dissipavit, id est protectionem suam a populo Judæorum abstulit, ac sic deinde funiculum hæreditatis suæ super populum gentium dilatavit. Quasi enim contractus erat funiculus ejus, quando de populo Judæorum tantum dicebatur: *Jacob funiculus hæreditatis ejus (Deut. xxxii)*; sed tunc funiculus tenditur, quando, ut dictum est, sors hæreditatis super omnes gentes dilatatur. Quia vero illuminationem gentium præcessit excecatio Judæorum, recte subinfertur cum dicitur: Et non avertit manum suam a perditione. Quasi enim funiculum tendens manum a perditione averteret, si gentes colligens Judæos non reprobaret. Hinc est quod Isaias propheta cum fidem gentium, et futuram per spiritum cerneret excecationem Judæorum, ait: *Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiâ (Isa. lx)*. Multiplicata quippe gente, lætitiâ magnificata non est, quia priores patres, quamvis quidem lætarentur de futura salute gentium, simul tamen doluerunt de perditione Judæorum. Unde, et hic quoque recte subjungitur: sicutque antemurale, et murus dissipatus est. Quid namque in hoc loco antemurale, nisi priores patres; et quid murus, nisi ipsam Mediatorem Dei et hominum designat. Sicut per Isaiam dicitur: *Urbs fortitudinis nostræ Sion, Salvator ponetur in ea murus et antemurale (Isa. xxxvi)*. Ipse enim secundum formam assumptæ humanitatis, quasi murus nobis factus est; quia quos per fidem in se credentes recepit, et contra impugnationem malignorum spirituum defendendo custodit. Sed quia sancti Patres etiam ad custodiendam Ecclesiam Dei jugiter prædicatione et exemplo spiritualibus exorbis in-



vigilant, quasi antemurale in civitate Dei foris stant dicatur ergo : Luxit antemurale, et murus pariter dissipatus est; quia inde omnis priorum Patrum multitudo doluit quod perfidus Judæorum populus Salvatorem ad se missum non recipit. Quod autem dicitur, murus dissipatus est, quantum ad eos dictum est a quibus est ablatum. Dissipatus est Judæis, ut ædificaretur gentibus, quia per hoc fides ejus ad gentes transiit, quod Judæa illam in perfidia manens reprobavit, sicut per Psalmistam dicitur: *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli* (Psal. cxvii).

Per hoc namque quod a perfidis Judæis reprobatus est gentium pariter, et Judæorum fidelium, quasi duorum parietum ex diverso in unum concurrentium, caput factus est. Quod autem dixit, pariter sic accipi potest : vel quod murus pariter, cum antemurali luxerit ; vel quod murus pariter cum antemurali dissipatus sit. Neutrum enim a sana intelligentia discordat. Nam quod ipse etiam humani generis Redemptor cum cæteris fidelibus illius populi perfidiam et dissipationem ileverit, Evangelium manifeste declarat ubi dicitur. *Cum appropinquaret Dominus Jerusalem, videns civitatem flevit super eam et ait : Quia si cognovisses, et tu, quia venient dies in te, et circumdabunt te, et coangustabunt te undique, et ad terram prosternent te* (Luc. xix). Item quod societas sanctorum cum ipso suo capite ab eis dissipata sit, aperte in Actibus apostolorum ostenditur, ubi narratur quomodo gens Judaica Christi fidem recipere noluit, et fideles illius a suis finibus ejecit. Cogitavit Dominus, etc. Quid est quod Dominus ante factum cogitare dicitur, nisi quod Deus peccatores prius per patientiam diu tolerat, ut districtius postmodum per justitiam, culpam exquirat. Unde recte nunc dicitur : Cogitavit Dominus dissipare murum filie Sion. Quid namque per murum filie Sion, nisi virtutes animæ accipimus : Et sæpe omnipotens Deus eos, quos jam per fidem et gratiam spiritualium donorum in visceribus Ecclesie suæ in filios adoptaverat, propter prava opera postmodum reprobandans, ipsis etiam quas jam tribuerat virtutibus privat. Sed quia nobis peccantibus nunquam tam graviter irasci solet, nisi nostris prius iniquitatibus diu provocatus fuerit, recte nunc dicitur : Cogitavit Dominus dissipare murum filie Sion. Ac si diceretur : Deliberat prius quam feriat, nec cito profert sententiam, quousque subtili consideratione examinet culpam. Quod etiam evidentius explanatur, cum dicitur. *Tetendit funiculum suum*. Quid est enim funiculum tendere, nisi subtiliter mensuram peccati examinare ? Vel funiculum tendere est diu in peccato perseverantes tolerare, non quod ipse patiando iniquitatem augeat, sed quod justo iudicio suo, vel non corrigendo vel non puniendo in nobis prolongari permittat ; quæ iniquitas funiculus Dei dicitur, quia in nobis invenit unde ligamur. Propter quod necesse est ut semper solliciti simus, ne nos per accepta dona virtutum, aut

A superbia elevet, aut negligentia dissolvat, quia fortassis, dum nos male securi acceptam gratiam custodire negligimus, quam horrendum sit quid de nobis invisibilis iudex cogitet ignoramus : qui quamvis peccantes nos dissimulans quidem, non ignorans diu patitur, scire tamen debemus quod ubi longa deliberatio præcedit, gravis animadversio sequitur, quemadmodum cernimus quod quanto quis attentius ictum vibrat, tanto periculosius jaculatur. Unde subjungitur : Non avertit manum suam a perditione. Ac si aperte diceretur : Quanto magis prius patiando sustinuit, tanto minus nunc feriendo parcit, quia profecto justum valde est, ut si nos manus nostras, dum possumus, ab illicito opere non retrahimus, Dei quoque manus in ulciscendo a perditione non avertatur. Sequitur : Luxitque antemurale, et murus pariter dissipatus est. Si per murum, ut dictum est, virtutes animæ significantur, recte per antemurale opera virtutum accipimus. Quid est ergo quod Deo in nos vindicante antemurale luget et murus dissipatur, nisi quod, ejus gratia recedente, et virtus tollitur, et opera virtutis infatuantur. Tunc enim opera nostra bona lugent, quando amissa virtute, et si ad tempus manent, meritum tamen non habent. Sunt qui per murum opera, per antemurale fidem accipere volunt, et bene fides destructis operibus bonis lugere dicitur, quia absque bono opere apud Deum fides non approbatur.

C Defixæ sunt in terra portæ ejus ; perdidit et contrivit vectes ejus. In portis sublimitas regni ; in vectibus fortitudo notatur. Portæ ergo in terra defixæ sunt, sublimitas humiliata et dejecta. Vectes perdit et contriti, fortitudo amissa atque comminuta. Quod qualiter factum sit, adjungit dicens : Reges ejus et principes ejus in gentibus subauditur, perdidit Dominus, hoc est dispersit et contrivit, id est in nihilum redegit. Quo merito etiam hoc evenit subinfert. Non est lex, videlicet apud eos, quia legem Domini non custodiunt : et prophete ejus non invenerunt visionem a Domino. Cum amaritudine pronuntiandum est, *prophete ejus*. Ac si diceret : Illos magis dilexit, qui suo spiritu falsa prophetabant, quam illos qui a Domino visionem invenerunt. Defixæ sunt in terra portæ ejus, etc. Quid per portas, et vectes civitatis, nisi prelatos populi accipere debemus ? Idem namque et portæ sunt per verbum, et vectes per concilium, et viæ per exemplum. Per verbum disertum, portæ ærcæ ; per consilium firmum, vectes ferrei ; per exemplum bonum, viæ planæ. Portæ enim sunt, quando extra positos per verbum prædicationis ad fidem introducunt. Vectes sunt, quando intus per fidem constitutos per consilium salutis confirmant et dirigunt. Viæ sunt, quando jam incipientibus, recte incedendi per bonam operationem exemplum fiunt. Recte ergo per portas Jerusalem Scribas et Phariseos doctores Judæorum intelligere possumus. De quibus hic dicitur : Defixæ sunt in terra portæ ejus. Portæ, si quidem erectæ et solidos vectes habentes pro tempore



claudi et aperiri possunt, claudi videlicet inimicis et amicis aperiri. Portæ autem solutæ a vectibus suis, et ablatae, aditum non muniunt, neque intrare volentibus obsistunt. Portæ vero, quæ contritis vectibus in terra defixæ sunt, munimentum quidem non præbent, sed tamen intrare volentibus impediunt. Quid ergo sunt portæ erectæ, nisi doctores cœlestia prædicantes, quæ bene in vectibus pendent, quia de consilio cordis firmatur verbum prædicationis? Et quæ sunt portæ destructæ, et ablatae, nisi prædicatores negligentes et tepidi, quos Dominus per prophetam increpat, dicens: *Canes muti non valentes latrare?* (Isa. LVI.) Et alibi: *Non ascendisti in die Domini ex adverso, ut poneretis vos murum pro domo Domini* (Ezech. xiii). De quibus etiam superius dixerat: Portæ ejus destructæ. Hic autem amplius aliquid insinuare volens, ait: Defixæ sunt in terra portæ ejus. Talibus namque in Evangelio Dominus dicit: *Væ vobis, Scribæ et Pharisei, quia tulistis clavem scientiæ. Ipsi non introistis, et alios intrare volentes prohibuistis* (Luc. xi). Dicatur ergo: Defixæ sunt in terra portæ ejus. Per terram enim vel amor terrenarum rerum, vel humanitas Christi, vel carnales observantiæ legis intelligi possunt. Bene ergo portæ in terra defixæ dicuntur, quia Scribæ et Pharisei doctores populi, propter hoc quod mentem in terrenis desideriis fixerant non solum Christum recipere noluerunt, imo etiam, ne terram illam amitterent, Christum occiderunt. Vel in terra defixi sunt, quia solam in Christo carnem attendentes, in laqueum perfidiæ inciderunt. Vel in terra defixi sunt, quia translata spirituali intelligentia legis ad gentes, ipsi in carnalibus observantiis remanserunt. Unde bene subditur: Perdidit et contrivit vectes ejus. Quid enim vectes nisi occulta et fortia consilia Scribarum et Phariseorum designant, quibus consiliati sunt Christum occidere, ne terram perderent? Sed vectes perdidit et contrivit, quia consilium eorum ad nihilum redegit. Consilium perditum est, quia Christum occidendo extinguere non potuerunt. Consilium contritum est, quia ob hoc terram perdiderunt, quod Christum occiderunt. Propter quod subditur: Reges ejus, et principes ejus in gentibus, subauditur constituit Deus, ut scilicet gentiles regnent et principentur super eos. Sic igitur perditum est et contritum vectes, ut non solum regibus gentium tributum solverent, sed etiam præfecti et præsides regum inter eos habitarent, et eos opprimerent, tandemque rebelles a terra ejicerent et per totum mundum dissiparent. De quibus adhuc subditur: Non est lex, scilicet apud eos, quia, etsi libros legis habeant, quia tamen in Christum non credunt, legem non observant. Sed quia ipsi Christum suum adhuc sibi venturum promittunt, contra hoc recte respondetur, cum dicitur:

*Prophetæ ejus non invenerunt visionem a Domino.* Ac si diceret: Quod de adventu Christi falso sibi blandientes prædicant hoc a semetipsis, non a Domino revelante invenerunt. *Defixæ sunt in terra*

*A portæ ejus.* Quid per portas animæ, nisi sensus corporis accipimus? Quas videlicet portas tunc in terra defigimus, quando ipsos sensus nostros ad terrena desideria inclinamus. Sed quia nunquam foris sensus turpibus desideriis succumbit, nisi prius interius mentis custodia per negligentiam fracta et dissipata fuerit, recte subinfertur, cum dicitur: Perdidit, et contrivit vectes ejus, vectes etenim perdit, quando, sublato timore bono, mentem vagam et dissolutam relinquit. Vectes contrivit, quando ingredientibus vitiis constantiam mentis frangi et emolliri permittit. De quo sequitur: Reges ejus, et principes ejus in gentibus. Per gentes enim vitia signantur. Reges ergo et principes animæ in gentibus sunt, quando ipsa vitia ei per consensum dominari incipiunt. Vel per reges, et principes ipsas animæ virtutes, per quas prius regebatur, accipere possumus. Reges quia intus voluntatibus præsentent; principes quia foris animum ad bene agendum movent. Et referendum est ad hoc quod præmiserat, perdidit et contrivit vectes ejus, videlicet reges et principes, id est virtutes perdidit et contrivit in gentibus, id est per vitia frangi et opprimi permisit. Hinc est enim quod adjungit, dicens: Non est lex. Animus enim legem intrinsecus habere debet, timorem videlicet et amorem Dei, et ad hujus legis judicium sensus suos foris regere. Timorem videlicet, ne eum concupiscentia carnis per lasciviam dissolvat; amorem vero, ne in bono opere desidia torpentem reddat. Quod si forte portas suas, id est sensus suos animus in terrenis oblectamentis defigit, ipse sibi judicio est, quod contritis vectibus, id est amissis virtutibus, etiam legem vitæ intrinsecus, scilicet timorem Dei et amorem perdidit. Cui bene adhuc exprobrando dicitur:

*Prophetæ ejus non invenerunt visionem a Domino.* Postquam enim animus, amisso moderamine mentis, judicium sensuum sequi incipit, jam solummodo ea refugit quæ affectus sensuum mala esse renuntiat, et ea sequitur quæ carnis affectus probat. Unde necesse est eum sæpe decipi: qui cum præsentibus solummodo delectationibus considerat, futuras amaritudines non evitat. Hinc est, quod tam sæpe Moyses ad tabernaculum recurrit, ut Dominum consulat; quia nihil homo temere foris, vel appetere, vel declinare debet, nisi prius intus quid Dei voluntati placitum sit, judicio mentis discernat. Perversæ autem animæ, quæ affectum carnis non judicium mentis ubique sequitur: recte hic per exprobrationem dicitur: *Prophetæ ejus non invenerunt visionem a Domino.* Quia ille profecto se in foveam perditionis præcipitat, qui semper considerat, quid carni suæ dulce sit, et quid Deo placeat, non attendit.

*Sederunt in terra, conticuerunt senes,* etc. Hucusque quasi destructionem ædificiorum descripsit: deinceps miseriam et dolorem hominum plangit. *Sederunt in terra, conticuerunt senes.* Sessio dejectionem, silentium stuporem designat. Et congruè



senes, in quibus consilii auctoritas esse debuit, siluisse dicuntur; quia tanta calamitas fuit cui nullo consilio subveniri potuit. Sequitur:

*Consperserunt cinere capita sua virgines.* Ultro speciem decoris sui foedant, ut ipso squalore foris interni doloris vehementiam ostendant. Pulchre autem in tribulatione senes conticescunt, virgines autem cinere capita sua spargunt; quia malum cum vehementer ingruit, maturos sensus in stuporem, et lascivos ad impatientiam vertit: de quibus adhuc subditur:

*Accincti sunt ciliciis.* Hoc ad senes.

*Abjecerunt in terram capita sua.* ALLEG. Hoc ad virgines. Mortem accelerare volunt, qui ingruentibus malis spontaneas etiam afflictiones adiiciunt. Sederunt in terra, conticuerunt senes, etc. Prophetæ mens universa mala præsentis vitæ considerans, compunctionis oculum ab exordio ducens, ab ipso primi hominis lapsu, usque ad excæcationem Judaici populi, ac deinde descendens per mala præsentis Ecclesiæ, usque ad finem temporis planctum extendit. In superioribus enim ædificia diruta, mœnia destructa, quasi a minori incipiens descripsit: hinc jam quasi ad majora progrediens, hominum miseriam et dolorem, plangit hæc igitur, quæ sequuntur, non incongrue ad præsentem Ecclesiam referri possunt. Sederunt in terra, conticuerunt senes filiæ Sion. Quid per filiam Sion, nisi præsens Ecclesia accipitur: quæ de Synagoga per fidem nata est? Senes ergo filiæ Sion prælati Ecclesiæ dicuntur, quorum senectus non in numero annorum quæritur, sed in propectu sapientiæ et morum maturitate. Et bene senes, quia non ut parvuli sub lege, quasi sub pædagogo constituti. Populus enim antiquus quasi parvulus erat; quia per virgam legis, et per terrenas promissiones nutrebat, quousque ad sensum maturum conscenderet, ut Deo non pro terrenis, sed pro cœlestibus deserviret. Isti ergo senes filiæ Sion in terra sedere non debent, id est terrena et transitoria quærere; sed conversatione et desiderio in cœlis esse, ut quod verbo prædicant, moribus ostendant. Sed quia plerosque propheta in sancta Ecclesia futuros prævidit, qui prælationis locum obtinentes perversis moribus dignitatem officii sui macularent, in vocem doloris erumpent, sic ait: Sederunt in terra senes filiæ Sion. Quid est enim in terra sedere, nisi terrenis delectationibus incumbendo a bono opere cessare? Sed quia ii, qui a bono cessando perversa agunt, ne suæ pravitatis testes fiant, verbum veritatis loqui erubescunt, recte secutus adjunxit: Conticuerunt, quia profecto, ubi conscientiam remordet reatus sceleris, a prædicatione linguam ligat timor confusionis. Sequitur:

*Consperserunt cinere capita sua virgines Jerusalem.* Quid per virgines Jerusalem nisi boni subiecti in Ecclesia, qui fidei integritatem sinceritate morum conservantes ad visionem supernæ pacis festinant? Et quid per caput, nisi actio spiritualis? Quid

A per cinerem, qui ab igne relinquitur, nisi terrenæ cogitationes signantur? Quasi enim ab igne cinis nascitur, quando cogitationum inanium reliquiæ a concupiscentia carnali generantur. Bene ergo, postquam senes in terra sedent et tacent, virgines capita sua cinere conspergunt; quia simplices quique in Ecclesia cum prælatos suos, postposito studio prædicationis, terrenis delectationibus vident incumbere, etiam in bonis quæ agunt, carnaliter delectari incipiunt. Recte autem senes filiæ Sion, et virgines Hierusalem nominavit, quia prælati in sancta Ecclesia per providentiam circumspectionis sublimes debent esse. Subjecti autem in bonis quæ humiliter peragunt, semper per intentionem mentis ad visionem æternæ pacis respicere; quatenus, et illi in alto per virtutem constituti, ea quæ subjecta sunt custodiant; et isti per humilitatem in imo positi, intentione semper ad superiora contendant. Hoc ergo propheta plangit, quod sedent ii, qui erecti esse debuerant, et qui cœlestia contemplari consueverant, cinerem sibi supermittunt ne visum ad sublimia levare queant. Et nota, quod perfecti etiam in pedibus pulverem habere dicuntur; qui autem pulvere capita sua aspergunt, jam inter plangendos numerantur, quia in terrenis quidem actionibus boni per infirmitatem aliquando leves maculas contrahunt; mali vero in iis etiam, quæ fortiter agere videntur, per intentionem laudis sordescunt. Sequitur:

C *Accincti sunt ciliciis.* Quid per cilicium, nisi cura terrenarum rerum signatur, quæ conscientiam assiduis occupationum aculeis pungit? Prius ergo senes in terra sedentes describuntur et postea ciliciis accincti, quia ubi mens in amore carnalium delectationum primum resoluta fuerit, nox deinde cura sequitur, quæ illam pro adimplendis desideriis suis sollicitando compungit. Virgines quoque prius capita sua cinere aspergere, ac postea ipsa capita sua in terram abjicere, dicuntur, quia hic perditionis ordo est, ut primum quisque bona, quæ agit, per intentionem laudis humanæ offuscet, ac deinde etiam ipsa bona opera in privas actiones commutat. MORALIS. Sederunt in terra, conticuerunt senes filiæ Sion. Per diversas ætates, et sexus, atque officia personarum, interni motus animæ distinguuntur. Nam quod foris officia personarum discernant, hac intrinsecus affectionum motus discrete peragunt. Quid ergo per senes filiæ Sion, nisi consilia fidelis animæ accipere debemus? Sed sciendum est, quod alia sunt electorum consilia, et alia reproborum. Consilia namque electorum sunt præsentem vitam et ejus delectationes despiciere, in adversis patientiam conservare, per præsentis tribulationes ad futuram gloriam pertingere. Consilia reproborum sunt, adversa fugere, præsentem vitam amare, carnalibus desideriis moram gerere; vitam futuram aut despiciere, aut desperare. De consilio impiorum per Psalmistam dicitur: *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum Psal. 1;* et de justorum consilio in eodem postea



consequenter adjungitur: *Ideo non resurgunt impii in judicio, neque peccatores in consilio justorum.* Si ergo ii qui ad consilium justorum convertuntur surgunt, merito sedere perhibentur qui in consilio impiorum dilapsi sunt, quia et illa sursum, et ista deorsum tendunt, illa cœlum, et ista terram appetunt. Senes ergo filiae Sion in terra sedent, quando affectus animæ æternæ promissionis obli-tæ terrenis et transitoriis delectationibus inhærent. De quibus recte dicitur, conticuerunt. Internum enim desiderium quasi clamor quidam est in auri-bus Dei. Et ideo prava mens quanto magis foris transitoria appetit, tanto amplius intus a desiderio æternorum conticescit. Sequitur: *Consperserunt cinere capita sua virgines Jerusalem.* Per virgines Jerusalem mundas animæ cogitationes intelligere debemus. Quid est ergo quod postquam senes in terra sedent, virgines cinere capita sua spargere dicuntur, nisi quod quando affectus animæ depravati sunt, statim caligo cogitationum generatur? Unde adhuc subjungitur: *Accincti sunt ciliciis.* Post sessionem enim et aspersionem cineris cilicium sequitur, quia pravam delectationem et confusionem mentis aspera peccatrici conscientie de reatu sui sceleris compunctio generatur. Postremo autem in fine cumulus infelicitatis apponitur, cum subinfertur: *Abjecerunt in terram capita sua virgines Juda.* Post accinctionem enim cilicii capita in terram abjicere, est post angustiam et trepidationem malæ conscientie etiam de venia desperare. Propter quod etiam recte virgines Juda dicuntur. Ad augmentum namque doloris postrema in eis confessio nominatur, quia et illa novissima post omnes alias virtutes amissas a desperatis excluditur.

*Defecerunt præ lacrymis oculi mei, etc.* LITERAL. Propheta in persona Ecclesie membra sua plangentis, enumeratis malis perditorum, compassionem bonorum adjungit; prius enim mali planguntur a bonis quam a semetipsis; et dum male sani in sui adhuc perditione exsultant, quantum flendi sunt aliena suspiria indicant. Dicit ergo:

*Defecerunt præ lacrymis oculi mei, conturbata sunt viscera mea: effusum est in terram jecur meum.* Oculi in sancta Ecclesia sunt provisores, viscera, misericordes, jecur studiosi et in bono opere ferventes. Ut enim ferunt physici, in jecore calor decoctionis est. Sicut ergo jecur, vel hepar, suo calore crudum cibum in ipso stomacho decoquit, et exinde succum nutritivum in omnes corporis partes transmittit, sic nimirum ii qui alios per fervorem suæ devotionis a torpore ad bene operandum excitant, quasi ex sua decoctione alimentum corpori Christi subministrant. Quid est ergo, quod peccato vastante populum fidelem, oculi Ecclesie deficiunt, et viscera turbantur, jecur in terram effunditur, nisi quod ii qui vere charitatem Christi habent semper alienis miseriis compatiuntur? Sicut Apostolus dicit: *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror? (I Cor. xi).* Nullum enim certius indicium est veræ

A charitatis, quam affectus fraternæ compassionis. Bene autem dixit oculos deficere præ lacrymis, quia sæpe tam vehementi plaga vitam subditorum culpa exulcerat, ut omnis ratio et diligentia prælatorum succumbat, et jam in tantis malis aliud consilium non sit, nisi ad lacrymas solum confugere et divinam elementiam implorare. Hoc pulchre Psalmista significat, dicens: *Turbati sunt, et moti sunt sicut ebrius; et omnis sapientia eorum devorata est. Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur: et de necessitatibus eorum liberavit eos (Psal. cvi).* Bene ergo oculi præ lacrymis deficiunt, quia sæpe cum malum vehementer ingruit, discretionis oculum mœror coligare facit. Viscera turbantur, quia intrinsecus affectus pietatis concutitur. Jecur in terram effunditur, quia sæpe in electis præ mœrore alieni periculi alacritas mentis obligatur, ut tanto amplius etiam in semetipsis ad bona agenda reddantur tepidi, quanto magis sunt in compassione fraternæ tribulationis afflicti. Per oculos igitur, et viscera, et jecur, significantur ii qui plangunt, non qui planguntur. Unde et mox per sequentia verba de iis qui planguntur sententiam adnectens, causam doloris exponit, dicens:

*Super contritione filie populi mei.* Quid enim per muliebrem sexum, nisi plebs infirma significatur? quam tamen, cum filiam nominat, fidei professionem habere demonstrat; per contritionem autem irreparabilis calamitas ostenditur, sicut quod contritum est amplius non reparatur. Sequitur.

C *Cum deficeret parvulus, et lactens in plateis oppidi.* Determinat contritionem per parvulum, populum rudem, et fide simplicem. Per lactentem, pravos doctores. Per plateas oppidi, voluptates hujus sæculi accipere debemus. Parvulus ergo et lactens in plateis oppidi deficiunt, quando carnales quique, et stulti cum perversis doctoribus per latam viam voluptatum ad perditionem vadunt; et nota quod ait, deficeret. Magis enim sunt plangendi, qui a bono deficiunt, quam qui nunquam boni fuerunt.

D *Defecerunt, etc.* ALLEG.: Proprium est electorum aliena mala tanquam sua plangere. Sicut enim bonis congaudendo in eorum meritis participes fiunt, ita quoque malis per compassionem condolendo, de illorum perditione sibi lucrum faciunt. Discat ergo peccator quomodo mala propria fieri debeat, cum justus pro alienis delictis tanta contritione se affligat. *Defecerunt, inquit, præ lacrymis oculi mei.* Quantum putatis compunctus erat iste, qui sic ploravit? Non enim semel tantum se lacrymas fudisse ostendit, qui oculos suos præ lacrymis defecisse dicit. Sed quia multi lacrymas fundunt et non compunguntur corde, secutus adjunxit: *Conturbata sunt viscera mea, id est usque ad cordis intima sagitta doloris penetravit, dolor sensum tetigit, et contrenuit affectus pietatis.* Sequitur: *Effusum est in terra jecur meum.* Quid per effusionem, jecoris, nisi afflictio carnis signatur? Nam quia in jecore decoctio stoma-



chi calorem accipit, qui in afflictione sui corporis curam postponunt, quid aliud quam jecur in terra effundunt. Ne igitur inanes lacrymæ, ne ficta suspiria, ne simulati gemitus credantur, ecce carnis afflictio manifesta sequitur. Sed fortassis pro parentibus aut cognatis dolet iste. Audite quid dicit. Super contritione, inquit, filiæ populi mei: non patris, non matris, non fratris, non sororis, non cognati, non affinis, sed populi mei, inquit, ne affectus carnis et non charitatis stimulus doloris putaretur. Sed credo famosos et divites in populo iste planctu suo honorat? Attendite quid dicat. Cum deficeret, inquit, parvulus, et lactens. In primis animadvertite discretionem. Plangit quod deficiunt, nec plangit quod divites non sunt. Quis parvulus, inquit, et lactens. Videte quod infirmitati compatitur, non fortitudinem aut pompam veneratur. Sed adhuc fortassis in infirmitate sexus et ætatis honorat nobilitatem generis: In plateis, inquit, oppidi. Non in aula, non in urbe, non in civitate, non saltem in domo, sed in plateis oppidi, quia quanto major est contritorum abjectio, tanto gravior est, ideoque pretiosior dolentis compassio.

Defecerunt, etc. MORALIS. Quid per oculos, nisi claritas contemplationis; et quid per viscera, nisi sensus internæ dulcedinis; et quid per jecur, nisi fervor divini amoris accipitur? Quid est ergo, quod propheta in contritionem filiæ populi sui oculos suos defecisse, et viscera conturbata, jecurque effusum in terram commemorat, nisi quod spiritualis quisque quanto magis animum suum in tribulatione proximorum ad compassionem foras effundit, tanto amplius interna illa gaudia, quæ quietus gustare consueverat, ex ipsa mœroris sui perturbatione subtracta deplorat? Sequitur: Super contritione, etc. Per filiam populi, carnalis anima; per parvulum, sensus carnis, per lactentem, virtus mentis accipitur. Sensus enim carnis, quantum in se est, puerilia quædam et levia semper appetit, nisi quantum mentis constantia eum per disciplinam restringit. Quasi parvulus igitur lacte pascitur, quia per virtutem animi ad naturitatem constantiæ velut ad robur virile paulatim enutritur. Sequitur: In plateis oppidi. Per oppidum non incongrue corpus, quod anima inhabitat, et per plateas oppidi fluxa desideria carnis intelligere possumus. Quare ergo in contritione filiæ populi parvulus, et lactens in plateis oppidi deficere dicuntur, nisi quod in anima carnali prius per illecebrosa desideria foris sensus corrumpitur, ac deinde virtus quoque ac constantia animi emollitur?

*Matribus suis dixerunt, etc.* LITTERAL. In matribus tenerior affectus dilectionis notatur, quæ filiorum affectus, si possunt, non solum audiunt, sed præveniunt. Cur igitur filios rogantes expectant, nisi quia non habent, quod egentibus offerant? Et ne maternam pietatem naturali vitio induruisse existimes, audi quales se olim filiis exhibuerint.

A Non petunt hordeum et aquam, scilicet alimenta servilia, quia nihil ejusmodi dare solebant; sed: *Ubi est, inquit, triticum et vinum.* Hoc petunt, quod soliti fuerunt accipere. Non tamen petunt, sed admirantes interrogant, quia nec petere solebant, sed habere. Sed fortassis dices, lascivi erant filii isti et delicati, superflua quærebant, quibus etiam materna pietas contradicere deberet; audi quid sequatur.

*Cum deficerent, inquit, quasi vulnerati in plateis civitatis.* Duplex malum, egestas et ignominia. Tolerabilius saltem fuisset in domo deficere, et in occulto fame consumi quam in plateis, cum tabe famis confusionem ignominie sustinere. Sequitur:

B *Cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum.* Omnia cooperantur ad malum. In plateis deficiunt. In sinu matrum animas exhalant, ut et manifesta tabes confusionem et mors præsens dolorem multiplicent.

Matribus suis, etc. ALLEG. Prælati sanctæ Ecclesiæ, senes prudentia, atque consilio, et matres pietate esse debent. Sed quia pravi quilibet et negligentes cum locum prælationis obtinent, curam subditorum postponunt, et suæ potius avaritiæ aut luxui suo student; recte nunc per prophetam dicitur: Matribus suis dixerunt: ubi est triticum et vinum. Magnus dolor, quia quod petentibus subtrahunt, hoc etiam non petentibus offerre debuerunt. Sciendum autem quod tribus modis vita subditorum prælati loquitur, per miseriam, per desiderium, per obedientiam. Petunt enim quando indigent, petunt quando desiderant, petunt quando audire parati sunt. Per miseriam petunt, quia visa afflictorum indigentia, dum pias mentes ad subveniendum provocat, etiamsi lingua silet, vita clamat. Per desiderium quoque petunt, quia quodammodo petere est velle habere. Item per obedientiam petunt, quia, dum paratos se ad recipiendum offerunt, quasi velle et desiderare se dicunt. Negligentibus igitur prælati subditorum et si non lingua, vita tamen semper loquitur, quia et malorum periculo et honorum desiderio atque obedientia ad prædicationis studium, et honæ conversationis exemplum impendendum commoventur. Et attendite quod in tempore necessitatis filii non patres, sed matres vocant. Ac si dicant: Si debitum oblitii estis, pietatem saltem oblivisci non debetis. Erubescant canes muti et non valentes latrare (*Isai. LVI*). Erubescant, qui de pastoribus lupi facti sunt. Erubescant, qui non sicut pastores, sed sicut mercenarii gregem Domini pascunt. Qui ad lanandum sunt fortes, et ad protegendum imbecilles. Ad accipiendum prompti, ad tribuendum pigri. Ad circumveniendum disertii, ad bene dicendum indocti: qui aut plus debito exigunt; minus, vel nihil, debito impendunt; qui judicia veritatis in causas forenses mutaverunt. Væ eis quare non attendunt quid debeant; et si petitionem prævenire noluerint, saltem petentes audiant, quia et in ipsa fortassis petitione discere etiam poterunt



quid debeant. Ubi est, inquiunt illi, triticum et vinum? Non petunt hordeum et aquam, sed triticum et vinum; et quare hordeum et aquam non petant filii, quamvis in necessitate famis sint constituti. In Evangelio legimus quod quinque millia hominum quinque panibus hordeaceis pasta sunt (*Joan. vi*). Postea vero quatuor millia satiantur (*Matth. xv*), et tamen nihil ibi dicitur de panibus hordeaceis. Item legimus in Evangelio quod sex hydriæ lapideæ prius aqua impletæ sunt, postea vero aquæ ipsæ in vinum commutatæ (*Joan. ii*). De tritico quoque in Evangelio Dominus ipse mentionem facit, dicens: *Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert* (*Joan. xii*). Quid igitur per triticum, nisi Christus; quid per hordeum, nisi lex; quid per aquam, nisi carnalis sensus; quid per vinum, nisi intelligentia spiritualis accipitur? Servis igitur qui sensu carnali legem tenuerunt, hordeum et aqua sufficere poterant; filii autem, qui jam per gratiam in Christo adoptati sunt, et Christum spiritualiter edere sciunt, non nisi triticum et vinum desiderant. *Hæc omnia, inquit Apostolus, videlicet legales observantias, arbitror, ut stecora, ut Christum lucrifaciam* (*Philip. iii*). Vide quomodo isti hordeum legis abjicit; et non nisi triticum, id est Christum, edere quærit. Et bene per hordeum, quod asperum est ad edendum, lex, et per triticum, quod suave est et dulce, Christus accipitur, quia lex venit peccata punire, et Christus solvere.

Quare ergo Christus triticum dicatur, jam per Dei gratiam et legendo discimus, et edendo sentimus. Quatuor autem modis Christum comeditur. Christum enim edimus, quando corporaliter sacramentum corporis et sanguinis ejus sumendo, spiritualiter animas nostras saginamus. Christum edimus, quando Christum credendo diligimus. Christum edimus, quando Christum imitamur. Christum edimus, quando verbum Dei audiendo in novæ vitæ conversationem transimus. Quid est ergo quærere triticum, nisi quærere Christum, quærere verbum Dei, doctrinam veritatis, et conversationem novi hominis? Triticum igitur quærimus, quando verbum vitæ audire, et Christum imitari desideramus. Sed si triticum edimus, vinum, et non aquam libere debemus, id est verbum Dei audiendo sumere, et per spiritualem intelligentiam illud in nobis irrigare. Hoc est enim quod in lege nobis præcipitur ne carnes agni paschalis aqua coquamus (*Exod. xii*), quia carnaliter nobis sapere non debet, quod ad pastum spiritualem datum est. Interrogent ergo boni subjecti malos prælatos suos, et dicant: Ubi est triticum? Ac si dicerent: Ubi est doctrina veritatis? ubi exempla novi hominis? Ac si apertius dicerent: Vos nec loquendo veritatem ostenditis, nec bene vivendo imitatione dignos exhibetis. Ubi est vinum? Quasi dicerent: Vos, qui etiam spiritualia carnaliter tractatis, quomodo nos de car-

nalibus ad spiritualia evocare poteritis? Vos, qui terrena, quæ abjecisse videbamini, oblivisci non potestis; quomodo nos ad oblivionem eorum quæ possidemus inebriabitis? Manducate prius, et postea reficite; inebriamini, et deinde inebriate. Proh pudor! Quid dicemus ad hæc? Quid mirum est, si populus carnalia diligit, quando clerus spiritualia etiam pro carnalibus vendit? Unde recte subinfertur, cum dicitur. Cum deficerent quasi vulnerati in plateis civitatis. Duæ sunt civitates, Babylonia, et Jerusalem. Sed Babylonia plateas habet, id est vias latas, quæ ducunt ad mortem. In plateis ergo civitatis deficiunt, qui per carnis illecebras defluentes a virtute mentis emollescunt, vel per civitatem, ipsam Ecclesiam non inconvenienter accipimus; habet namque sancta Ecclesiâ plateas, habet et semitas. Quid enim terrenæ actiones sunt, nisi quædam plateæ; et quid spirituales actiones, nisi semitæ? In plateis ergo civitatis sunt qui in sancta Ecclesia licite terrenis actionibus inserviunt. In plateis autem civitatis deficiunt, qui terrenis negotiis occupati spirituales consolatores non inveniunt. Qui profecto nequaquam deficerent, si detrimenta, quæ foris sæpe patiuntur, consilio et admonitione bonorum prælatorum intus semper reparentur. Unde bene de ejusmodi dicitur, quasi vulnerati. Quid enim peccata sunt, nisi vulnera? Quasi vulnerati igitur deficiunt, qui sic per negligentiam, sicut alii per culpam, ad interitum tendunt. Cum magno igitur dolore pronuntiandum est, quasi vulnerati, ac si diceretur: Cur isti per negligentiam prælatorum pereunt qui criminibus et flagitiis vulnerati non sunt? Unde sequitur: Cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum. Quid namque est sinus matrum, nisi blanda adulatio prælatorum? Quasi morientes; namque filios matres in sinu tenent, quando carnalium mentes in corpore suo pereuntes mali prælati, non solum ad bonam operationem non exsuscitant, sed etiam blandis favoribus palpando in sua perditione fovent.

*Matribus suis dixerunt, etc.* MORAL. Quid spiritualiter per filios matrum, nisi multitudinem cogitationum accipere debemus, quæ dum in una mente de diversis affectionibus prodeunt, quasi multarum matrum soboles in una domo, sed non ex una origine procedunt? De affectionibus autem cogitationes nasci idcirco diximus, quia profecto illarum rerum frequentissime memoria nobis per cogitationem occurrit, quarum amore affecti sumus. Hoc per singula vitia, atque virtutes facile verum esse probamus. Hinc est enim quod in Evangelio dicitur: *Ubi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum* (*Matth. vi*). Ac si diceretur. Ubi est amor tuus, ibi est animus tuus. Qualis est affectio tua, talis etiam est cogitatio tua. Sed sciendum est quod sicut affectus de se cogitationes generant, sic ipsæ rursum cogitationes eos a quibus oriuntur affectus amplius inflammant. Unde etiam in his, qui cor suum ab illicitis cogitat onibus diligenter custodiunt, funditus tandem malarum ra-



dices affectionum arescunt. Et contrario vero illi, qui mentem suam meditationibus sanctis exercere negligunt, etiamsi aliqua divini amoris scintilla prius incalescerint, paulatim tepescunt, ita tandem ut, etsi forte bonarum affectionum cogitationes aliquando habuerint, nihil tamen ex ipsis internae dulcedinis in sinum mentis vel tenuiter eliquari presentiant. Propter quod recte in hoc loco dicitur: Matribus suis dixerunt: Ubi est triticum et vinum? Quid enim per triticum, nisi cibus sapientiae; et quid per vinum, nisi internum gaudium signatur? Nam, sicut panis cosporeus ventrem reficit, sic sapientia mentem pascit; et sicut vinum a vide potatum inebriat, sic internum gaudium mentem a carnalibus desideriis alienat. Quid est ergo quod filii famelici a matribus triticum et vinum quaerunt, nisi quod cogitationes, de bonis affectionibus natae, sed per negligentiam arefactae, pristinae dulcedinis saporem in eis invenire non possunt: De quibus recte subditur: Cum deficerent quasi vulnerati in plateis civitatis. Quid enim sunt plateae civitatis, nisi vagationes mentis? In plateis ergo civitatis deficiunt, quia, dum vaga mens eas ad internam quietem non colligit, usque ad gustum intimi saporis non pertingunt. Quibus hoc etiam bene congruit quod dicitur quasi vulnerati. Prava quippe desideria vulnera sunt bonarum cogitationum, quia, dum sua eas admistione inficiunt, quasi plagae quaedam integritatem rectitudinis earum corrumpunt. Bene ergo steriles cogitationes animae quasi vulnerati deficere dicuntur, quia sic a iructu justitiae inanes permanent, sicut illae quae per illicita desideria corruptae sunt. Sequitur: Cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum. Sinus matrum tepor, et desidia est bonarum affectionum; in quo merito parvuli cogitatus animas exhalare dicuntur, quia, cum mens a fervore divini amoris tepescit, omnis mox bonarum cogitationum vigor emoritur.

*Cui comparabo te?* etc. LITERAL. Paulatim planctum promovet. Primum aedificia, et deinde homines, et ipsos quasi absentes luxit; nunc tandem velut emollitis et assuefactis longo fletu animis ad praesentes verba convertit, dicens: Cui comparabo te, et cui assimilabo te? ac si diceret: Quia tam magna est contritio tua, cui comparabo te? et, quia tam gravi es, cui assimilabo te? Quod est aperte dicere. Mala tua et magnitudine et modo omnem miseriam superant. Sed quia etiam magna minimis quadam differenti similitudine comparari aliquando possunt: subdit: *Et exaequabo te*, etc. Quod est dicere. Alia mala etsi per differentiam quamquam tibi comparari possunt, tamen nulla per aequalitatem possunt. Quare? Sequitur: *Magna enim velut mare contritio tua*. Mirum est quod calamitatem ejus nulli coequari posse commemorat, et statim magnitudinem maris, ei in comparatione coequat. Sed sic intelligendum est ac si diceret: Quemadmodum mare super omnes, alias aquas et mole et amaritudine excellens est, ita tuae contritioni nulla calamitas coequari potest. Sequi-

tur: *Quis medebitur tui?* Sicut exsiccari non potest aqua maris, sic contritio tua ab homine aestimari non poterit, nec est in quo speres nisi so'us Deus. Cui comparabo te? Illi, qui post agnitam veritatem retro abeunt, peiores sunt iis, qui nunquam veritatem agnoverunt. Et quanto cuique excellentior gradus est, tanto periculosior est lapsus. Unde propheta cum superius malorum praetorum in Ecclesia negligentiam, et subjectorum interitum planxisset, statim secutus adjunxit.

*Cui comparabo te, et cui assimilabo te, et exaequabo, virgo filia Sion?* Inculcatio verborum magni doloris vim exprimit. Ac si ipsi Ecclesiae de membris ejus arefactis loquatur et dicat: Sicut prius cum fide recte vivendo tenuisti, nulli comparabilis fuit gloria tua, ita nunc, cum per vitam reprobam a fide cecideris, nulli comparabilis est ignominia tua. Sequitur:

*Magna enim velut mare contritio tua*. ALLEG. Quid per mare, nisi vita saecularis accipitur; quae, dum semper mota instabili nunc de adversis ad prospera, nunc de prosperis in adversa trahitur; quasi quibusdam procellis fluctuantibus exagitur? et quia nunquam vel in prosperis timentem, vel in adversis dolorem excludit, quasi mare, in quacunque partem refluat, amaritudinem non amittit: Dicatur ergo illi, quae a dulcedine spiritualis vitae per concupiscentiam carnalem, et curas saeculares amareseit, dicatur, inquam: *Magna velut mare contritio tua*. Ac si aperte diceretur: Tu, quae per mundi contemptum, et desiderium aeternorum bonorum ab amore carnali dulcorata fuisti, quomodo iterum in amaritudinem versa es? Sequitur.

*Quis medebitur tui?* MORAL. Audiant hoc praetati Ecclesiae, qui medici animarum constituti sunt; audiant quod dicitur. *Quis medebitur tui?* Ac si diceretur: Alios aegros medici curant, sed medicos infirmantes quis curabit? Si populus peccat, orant sacerdotes pro eo. Sed pro sacerdotibus si peccaverint, quis orabit? Periculosa prorsus haec sunt, et tamen vera. Quae, etsi audire timemus, negare tamen non possumus.

*Cui comparabo te*, etc. Increpatur anima peccatrix, cujus tanta mala superius numerata sunt, quae ab amore Dei formicata tanto furpiorem incestum suum fecit, quanto pretiosior ruit integritas ejus. Cui bene dicitur. *Magna velut mare contritio tua*. Quid enim per mare, nisi conscientia prava accipitur, quam et memoria praeteritorum scelerum, et delectatio praesentium huc illucque impellendo exagitant? Quasi enim fluctus quidam e regione venientes ad invicem se collidunt, quando infelicem animam quodammodo semper et poenitentia praeteritorum errorum suorum retrahit, et amor praesentium impellit. Et quia in hac tanta contradictione illa qualiscunque miserae delectationis dulcedo semper admisto dolore inficitur, recte prava conscientia non solum inquietudine, sed etiam amaritudine mare appellatur. Sequitur: *Quis medebitur tui?* Ostendit magnum prorsus, et difficile esse, non tamen Beo



impossibile : ut talia ad sanitatem redeat. Hinc est, quod Joannes de peccante ad mortem dicit. *Non pro eo dico ut oret quis (I Joan. v)*. Ac si diceret : Sicut desiderare salutem ejus non prohibeo, sic orare pro eo præcipere non præsumo, quia tam mortalis vulneris curatio, quamvis potentiam Dei non excedat, omnem tamen humanam existimationem superat, et ideo consideratius agitur si interim humiliter suppressa oratione desiderium tantum Deo offeratur, quia fortassis citius impetrabit, in causa tam difficili, humilis et timorata devotio, quam petitio præsumptuosa. Dicit ergo : Quis medebitur tui ? Quasi dicat : Periculosa est plaga tua, cui per humanam industriam subveniri non potest, et quæ propter culpam præteritam a Deo sanari digna non est.

*Prophetae tui, etc.* LITERAL. Cum exprobratione dicitur : *Prophetae tui*. Ac si diceretur : Ecce ad quantam miseriam devoluta es, prophetas falsos audiendo, quos tu dilexisti, et prophetas Dei vera dicentes audire nolueris. *Viderunt tibi*. Tibi viderunt, quia prophetae tui fuerunt. Ideo mendacium illorum ad te redundavit, quia malitia illorum tibi placuit. *Prophetae tui viderunt tibi*. Quid tibi viderunt ? *Falsa et stulta*. Falsa, in quibus decepta es. Stulta, in quibus excusari non potes. Si tantum falsa vidissent, in quibus saltem fuisset aliqua veritatis similitudo, poterat fortassis excusari per ignorantiam simplicitas tua ; nunc autem, quia stulta etiam viderunt, et tamen credere non timuisti merito punitur insipientia tua. Quæ autem falsa et quæ stulta viderunt ? *Falsas assumptiones, ecce stulta ; falsas ejectiones, ecce falsa*. Quando, et quibus volebant promittebant prospera. Quando, et quibus volebant, minabantur adversa. Sed utrumque falsum, quia ejiciendis promittebant assumptiones, et assumendis ejectiones. Quando Deus iratus erat, nuntiabant quod te ad protegendum assumeret ; quando placatus fuit, minabantur quod te ad tribulandum ejiceret. Sed comminatio falsa fuit, et promissio stulta. In promissione non tantum falsitas, sed etiam stultitia, quia etsi terrores timuisti, valde alienum est a ratione quod, tanti sceleris conscia, vanis promissionibus decipi potuisti. Ecce nesciebas quod futurum fuerat ; non tamen ignorabas malum meritum tuum, quod præsens erat. Ipsi autem falsa, et stulta videndo, non aperiebant tibi iniquitatem tuam, quia cum perversis in suo scelere prospera promitterent, et simpliciter gradientes vanis terroribus sollicitarent, non aperiebant, imo velabant iniquitatem tuam, ne eam agnosceres. Vel aliter distinguí potest. Quod dixit falsa, et stulta, hoc pertinet ad promissiones ; quod autem sequitur, falsas assumptiones et falsas ejectiones, utrumque referendum est ad terrores. Tribulationem namque et ejectionem vocat, eo quod populus a Deo ejiciendus erat, et assumptionem ad similitudinem oneris, quod assumptum portantem gravat. Hinc est enim, quod ubi beatus Hieronymus transtulit

A onus Babylonis, sive Tyri, sive Damasci, etc. Simmachus et Theodotia *assumptio* interpretati sunt. Et bene, propter supradictam causam, terrores solummodo falsos vocat ; promissiones autem non solum falsas, sed et stultas nominat, quia, etsi homo quid futurum sit, non possit semper agnoscere, stultum tamen valde est in præsentí semetipsum ignorare. Unde statim postquam dixerat, viderunt tibi falsa et stulta, subjungit. *Nec aperiebant tibi iniquitatem tuam*. Qui enim peccator præmium justí promittit, quasi iniquitatem illius, ne videatur, abscondit.

*Prophetae tui, etc.* ALIA. Sicut culpa malis prælatis est quod per eorum negligentiam subjecti pereunt, ita quoque subjectis in culpam deputatur quod, spretis bonis, malorum prælatorum exemplo imitantur, et perversas doctrinas audiunt. Congruè igitur postquam prælatorum perversitatem arguit, nunc ad ipsos quoque subjectos verba doloris per exprobrationem convertit, dicens : *Prophetae tui viderunt tibi falsa et stulta*. Prælati Ecclesiæ prophetae sunt, quando ad instruendam fidem moresque subjectorum, nunc occulta Scripturarum reserant, nunc de præiis honorum, sive penis malorum ventura prædicant. Perversi autem quique, quia in loquendo non tam correctionem audientium, quam forem querunt, recte nunc de eis dicitur : *Viderunt tibi falsa et stulta*. Falsa etenim et stulta vident, quia in discernendis moribus subjectorum judicium veritatis non tenent. Et cum pravos quolibet pro gratia favoris in suis perversitatibus laudent, stultos per negligentiam amplius per adulationem infatuant. Unde recte subditur : *Nec aperiebant tibi iniquitatem tuam, ut te ad penitentiam provocarent*. Quia vero nonnunquam mali prælati subjectos etiam innocentes odio persequuntur, et, cum suas injurias vindicent, causam Dei se patrocinari simulant, recte subinfertur, cum dicitur : *Viderunt autem tibi assumptiones falsas, et ejectiones*. Ac si diceretur : Quibus ipsi irati fuerant, illis iram et ultionem divinam imminere nuntiabant, quatenus eam Deum suarum injuriarum ultorem dicerent, animos populi ad exhibendam sibi reverentiam præverent.

D *Prophetae tui, etc.* MORAL. Qui sunt prophetae peccatricis animæ, qui falsa et stulta eis vident, nisi foris sensus corporis et versuti cogitatus intrinsecus, quos providentia carnis gignit ? Consideremus paulo attentius quam falsi sint isti prophetae. Ecce unus de illis. Visus quomodo falsa prophetando decipit. Si rem videris concupiscibilem, quid tibi prædicat ? Ama, inquit, sequere, apprehende, frue ; felix eris, si tali desiderio potitus fueris. Sed infelix anima, dum male credula fallacem promissionem sequitur, ampliori miseria per effectum sceleris obligatur. Sic auditus, sic olfactus, sic gustus et tactus falsa prophetant, et credentes sibi illaqueant, quia, priusquam concupiscentia experimentum capiat, prospera omnia et blanda futura



promittunt; cum vero misera delectatio brevi degustata transierit, stupentem et horrore plenam conscientiam relinquunt. Sed isti prophetæ tanto facilius in suis fallaciis deprehendi possunt, quanto manifestius est et ratione sæpe carens hoc quod promittunt. Versutia autem cordis tanto periculosior est, quanto occultior, quia non solum fallaciter promittit, sed etiam mentem ad credendum astute quadam faciendi ratione compellit. Hæc est prudentia carnis quæ mortem operatur, quam filii nequam hujus sæculi habent, sicut Dominus in Evangelio dicit: *Filii hujus sæculi prudentiores sunt filiis lucis in generatione sua* (Luc. x). Hæc prudentia perversos illos prophetas generat, versutos scilicet animæ cogitatus, qui falsis promissionibus animam lactent, et consentientem sibi seducunt atque illaqueant. Unus eorum patientiæ insidiatur, alter castitatem violare nititur; ille mundi contemptum irridet, iste simulationi studendum docet. Consideremus hæc per singula. Est unus cogitatus, qui de prudentia carnis nascitur. Hic dicit homini: Vindica læsionem tuam, ulciscere injurias tuas, quia, si præsentem patienter tuleris, ad futuras alios animabis; timeant te potius homines quam contemnant; omnes tibi exhibebunt reverentiam, si te viderint ulcisci viriliter injuriam tuam. Videte quam fallax est, et quam falsus est propheta iste pessimus. Callide persuasisse putabatur, cum furibundo reverentiam exhibendam prædiceret; quem cum in furorem converterit, non reverendum, sed abominabilem omnibus hominibus reddit. Est adhuc alius pseudopropheta, integritatis et continentiæ inimicus, qui hoc ordine seducit hominem: Sæpe, sub obtentu sanitatis aut necessitate operis, amplioribus et delicatioribus cibis indulgendum suadet; cum autem per crapulam corpus inflammaverit, continuo luxuriæ oblectamenta oculis anteponit; grave atque impossibile asserit ut homo in carne positus non carnaliter vivat, juvenilibus annis facile ignosci posse: longa adhuc ad pœnitentiam superesse tempora; Deum esse misericordem, tormenta inferni, vel nulla, vel parva. Sed attendite quam fallax sit iste propheta. Delectationes plurimas et in tempora longa permansuras, pœnam autem exiguant et in brevi transituram promittit; et fortassis æterna sunt tormenta quæ sequuntur, cum id quod delectat, etiam ad momentum stare non possit. Altius quadam ratione faciendi, avaritiæ studendum docet: Talem hanc vitam esse in qua homo non possit habere honorem, si non habuerit facultatem; divitias non solum corporibus, sed etiam salutem animarum plurimum sæpe prodesse, inde pauperum alimoniam et constructiones ecclesiarum procedere; postremo melius esse ut habeat unde sibi meritum requirere possit, quam ut nihil habens aliis poscere cogatur, unde amplius debitor sit. Sed et istum prophetam mendacem cognoscite. Possidentibus divitias posse virtutum merita augmentari pronuntiat, ut ab amantibus divitias omnia virtutum merita tol-

lat, et primum animos ad quærendas divitias cupiditate, deinde ad retinendas, cum acquisitæ fuerint, tenacitate corrumpat. Est adhuc unus de falsis prophetis, qui simulationi deservire suadet. Bonam enim opinionem quam maxime valere; famam suam hominem ubique impollutam custodire debere; et, si qua fuerint, ex infirmitate potius quam ex deliberatione peccata, propter scandalum proximorum, celanda esse; duplex damnum fieri, si, altero corrupto per factum, alter corrumpatur per exemplum; propterea oportere semper hominem, ad eruditionem aliorum, habitum laudabilem et virtutis indicem demonstrare, et ne quid sinistrum aut honestati contrarium de se aut dicatur aut credatur, summo studio vitare debere; vehementer meritum multiplicari, si et semetipsum homo per studium virtutis exercent, et alios per exemplum lucrifaciat. O quam subdola promissio! meritum per simulationem multiplicandum pronuntiat, ut, cum hominem, et mala sua tegere et bona ostentare docuerit, omnem boni meriti soliditatem evertat. De istis prophetis peccatrici animæ, et in tribulatione positæ per exprobrationem dicitur: prophetæ tui viderunt tibi falsa et stulta: ac si diceretur falsum esse quod carnales affectus promittebant; vel, nunc agnosce, erudita per pœnam, quod prius attendere nolueris, cum traheris ad culpam. Falsa et stulta viderunt tibi; quando ratione faciendi malum tibi persuadebant, falsa viderunt; quando vero etiam ad irracionales actus cupiditate victam impellebant, non solum falsa et stulta viderunt. Unde sequitur: Nec aperiebant tibi iniquitatem tuam. Ac si diceretur: Iniquitatem tuam tibi aperirent, si, ante factum, quæ pœna post sequeretur ostenderent. Nunc autem ne iniquitatem tuam perspicere posses, quasi dextrum oculum tuum cæcabat simulata ratio, et sinistrum delectatio prava. Nec solummodo deceperunt promittendo prospera, sed etiam terrendo per adversa. Viderunt enim tibi assumptiones falsas, et ejectiones. Assumptiones videlicet malorum, quæ imminere decebant, et ejectiones honorum præsentium, quæ peritura nuntiabant, quatenus tu, cum bona quæ amabas perdere timeres, et mala quæ timebas evitare studeres, citius ad iniquitatem faciendam consentiret.

*Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam; sibilaverunt, et moverunt capita sua super filiam Jerusalem.* LITERAL. Quasi diceret, audi; et quantum miseranda sis, vel alieno testimonio disce. Transeuntes per viam peregrini intelliguntur et extranei. Nam qui transeuntes nominantur, ostenduntur et aliunde venire et aliorum tendere. Per hoc enim quod aliunde veniunt, demonstrantur alieni sanguine; per hoc quod aliorum tendunt, alieni intentione. Et tamen eos, quos et affectus sanguinis et propositum intentionis dividit, novæ calamitatis stupor ad compassionem figit. *Plauserunt, inquit, manibus super te. Pulchre dixit super te, quasi dejectam et prostratam. Plauserunt manibus. Fuerunt nonnulli qui hæc omnia ad irri-*



sionem, et subsannationem potius pertinere existimarent, propterea quod plausus, et sibilus insultantium esse videantur. Quod vero in sequenti clausula rursus de sibilo et insultatione agitur, in hoc differre putatur quod isti quasi extranei dejectam despiciunt, illi vero quasi hostes et inimici non solum despectum, sed odium quoque sibilando et exultando ostendunt. Qui sensus nec nobis rationi contraire videtur. Quia tamen secundum spiritualem intelligentiam convenientius hæc ad compassionem referuntur, dicere convenienter possumus quod per plausum non insultatio, sed simpliciter manuum collisio exprimitur. Collisio autem manuum non semper idem significat; sed aliquando gaudium, aliquando dolorem, aliquando admirationem, aliquando compassionem indicat. Sibilus quoque diversas affectiones indicat; aliquando enim contemptum, aliquando desperationem, aliquando blandimenta insinuat. Similiter motio capitis aliquando indignationem, aliquando insultationem, aliquando dolorem, aliquando admirationem exprimit. Quia vero motus isti ad diversas affectiones respiciunt, possumus per plausum manuum admirationem, per sibilum desperationem, per motionem capitis compassionem; sive e contrario per plausum compassionem, et per motionem capitis admirationem accipere. Transeuntes etenim cum aspiciunt tam lamentabiles ruinas, quadam humanitate ad compassionem provocantur, et dolent de præsentis quam vident miseria; desperant autem de reparatione futura, et admirantur de transacta gloria. Ex dolore compassionis, manibus plaudunt; ex desperatione, ore sibilant; ex admiratione, caput movent. Et hoc est, quod sequitur:

*Hæccine est, dicentes, urbs perfecti decoris, gaudium universæ terræ? Ac si diceretur: Olim tam gloriosa, modo tam misera. Quod tamen, ut dictum est, non irridendo, sed compatiendo dixisse credendi sunt.*

Plauserunt, etc. ALLEG. Primum consideremus qui sint transeuntes isti, deinde quæ sit via per quam transeunt. Tota ista vita præsens transitus quidam esse videtur; quoniam ex quo eam nascendo ingredimur, sine intermissione per quotidianas immutationes ad mortem properamus, sicut in psalmo legitur: *Homo, sicut fenum dies ejus, tanquam flos agri sic effloret. Quoniam spiritus pertransibit in illo, et non subsistet; et non cognoscat amplius locum suum (Psal. cii).* Sed est alter quidam transitus laudabilis, qui non omnibus communis est. Omnes namque homines, sicut diximus, per necessitatem conditionis transeunt; mali vero cum per conditionem hic manere non possint, mentem tamen in desiderio vitæ hujus per amorem figunt. Transeunt ergo mali necessitate, sed voluntate non transeunt; boni vero qui præsentem vitam non amant, sed futuram desiderant, necessitati voluntatem adjungunt; imo, ut verius aliquid dicam, ipsam necessitatem voluntate præveniunt quia prius voluntate hinc exeunt

PATROL. CLXXIV.

A quam morte. Hi sunt veri Hebræi id est transeuntes: ad quos illud Sapientiæ verbum dirigitur: *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me (Eccli. xxiv).* De quorum etiam numero apostolus Paulus se esse gloriatur, eum dicit: *Hebræi sunt, et ego (II Cor. xi).* Quomodo enim Hebræus si id est transiens, in alio loco manifestat. Ea, inquit, *quæ retro sunt oblitus, semper in anteriora me extendo (Philip. iii).* Et rursus: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi (II Tim. iv).* De hoc etiam transitu Moyses dicit: *Transibo, et videbo visionem hanc grandem (Exod. iii).* Quia igitur alii sola necessitate transeunt, alii vero necessitati conditionis arbitrium etiam voluntatis adjungunt, recte hic cum de transeuntibus loqueretur quod non quoslibet transeuntes acciperet necessaria adjectione declaravit, dicens: Transeuntes per viam. Via namque in sacro eloquio aliquando Christum, aliquando legem Dei, aliquando vitam præsentem significat. Via Christum significat, sicut ipse testatur, dicens: *Ego sum via (Joan. xiv).* Via legem Dei significat, sicut in psalmo legitur: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini (Psal. cxviii).* Via præsentem vitam significat, sicut in Evangelio dicitur: *Esto consentiens adversario tuo dum es in via (Matth. v).* Quid namque sermo divinus, nisi adversarius nobis efficitur, quando nostris voluntatibus pravis adversatur? Cui videlicet adversario in via consentientes sumus, si in hac vita mortali, ubi adhuc locus merendi est, præceptis Dei, etiam contra nostras carnales voluntates, obtemperare satagimus. Sed in hoc loco via præsentem vitam significare non potest, quia cum omnis homo per eam necessitate conditionis transeat, distinctionem propheta non faceret, si de transeuntibus loquens, per viam vitam præsentem significaret. Via ergo Christus est. Et fortassis non sine causa factum est quod cum Psalmista in quodam loco transeuntes, vel prætergredientes, viam quosdam appellaverit: hic non transeuntes viam, sed per viam transeuntes dicit. Viam enim transeunt qui legem Dei prævaricantur, et fidem Christi vel acceptam deserunt, vel oblatam per verbum prædicationis accipere contemnunt. Ab his ergo separare voluit, quos non transeuntes viam, sed per viam transeuntes dixit. Et attende, quod non dixit, stantes in via; sed transeuntes per viam. In via etenim stant, qui fidem sine bonis operibus otiosam servant: qui quidem in via sunt per rectam fidem, sed non ambulant per bonam operationem. Per viam autem transeunt, qui in fide recta quotidiano profectu virtutum semper de bono in melius tendunt. Dicatur ergo: Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam. Sed quid est quod Ecclesiæ pro membris suis infirmantibus dicitur: Plauserunt super te manibus, omnes transeuntes per viam; nisi quod electos quosque, quos hujus mundi oblectamenta a cursu boni operis, sive a desiderio æternorum impedire non prævalent, pericula proximorum ad compassionem movent? Quod pulchre in libro



Regum per duas illas vaccas significatum est, quæ arcam Domini ab Allophylis redeuntem superimpositam plaustro novo gestabant : de quibus scriptum est : *Tollentes duas vaccas, quæ lactabant vitulos, junxerunt ad plastrum, vitulosque earum domi concluserunt (I Reg. vi)*. Et paulo post : *Ibant in directum vaccæ per viam, quæ ducit Bethsamis pergentes, et mugientes ; et non declinabant, neque ad dexteram, neque ad sinistram (ibid.)*. Quid enim vaccæ, nisi fideles quosque in Ecclesia ; et quid arca, nisi legem Dei ; et quid Bethsamis, quod interpretatur *domus solis*, nisi cœlestem patriam designat ? Vaccæ igitur quasi arcam superimpositam gestantes pergentes, et mugientes recto itinere Bethsamis vadunt, quando fideles legis divinæ meditationem jugiter in corde suo portantes, per viam boni operis ad cœlestem patriam tendunt, et pergentes pro his, quos adhuc carnalis affectus in hoc mundo obligat, mugitus compassionis edunt ? qui nec propter compassionem a recto itinere declinant, nec propter itineris propositum a mugitu compassionis cessant. Idipsum in hoc loco propheta innuit, dicens :

Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam. Plaudunt enim et simul transeunt, quia sic afflictis compassionis suæ affectum exhibent, ut tamen a proposito recti itineris nec deficient, nec declinent. Cujus compassionis modus recte subinfertur, cum dicitur : *Plauserunt manibus, sibilaverunt, moverunt caput*. In sacro eloquio sæpe per manus operatio, per os locutio, et per caput mens designari solet. Si igitur per manus opera designari dicimus, quid in plausu manuum, nisi famam et opinionem bonorum operum accipere debemus ? Fama namque et opinio bonorum operum velut quidam manuum plausus in auribus populi sonat : et sæpe eum repentina perstreperit, omnium oculos in suum, a quo orta est, auctorem convertit. Hinc enim est quod perversi quique in his, quæ recte agere videntur, semper innotescere volunt : ut videlicet, dum bene acta sua in medium spectanda adduxerint, rudes animos populi in admiratione sui convertant. Electi vero in bonis actibus suis tanto amplius manifestari refugiunt, quanto magis æternæ retributionis præmium ex admiratione terrenæ laudis imminui sibi pertimescunt. Qui si aliquando virtutes suas, et fortia acta sua proximis ad exemplum proponunt, nequaquam hoc desiderio gloriandi, sed amore consulendi faciunt. Unde et hic recte sub typo desolatæ civitatis multitudini peccantium dicitur : *Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam*. Electi namque, qui per viam mandatorum Dei de hujus mundi exilio ad cœlestem patriam transeunt, sæpe, dum infirmantes proximos vident, ex affectu charitatis ad provocandos animos eorum, virtutes suas in exemplum proponunt. Illi autem, qui per devium transeunt, super jacentes non plangunt ; quia virtutes suas non propter utilitatem proximorum, sed propter gloriam propriam dilatandam ostendunt. Sequitur : *Sibilaverunt, etc.*

**A** Solent ad sibilum formandum extrinsecus labia contrahi, et intrinsecus lingua quodammodo in similitudinem canalisi sinuata substerni ut, dum spiritus per arctum ductus et extenuatus emanet, mollior blandiorque ad auditum demulcendum perveniat. Quid igitur rectius per sibilum oris, quam consolationis verbum intelligi potest ? Quasi enim contractis labiis, et lingua substrata sibilare, est emollitis et temperatis verbis omne loquendi studium ad usum consolationis inflectere. Transeuntes igitur per viam super desolatos, et manibus plaudunt et ore sibilant, quando spirituales quique peccatores et per exempla virtutum ad bene agendum provocant, et per verbum consolationis ad spem veniæ confirmant. Sequitur : *Moverunt caput suum*. Per caput non inconvenienter mentem accipere possumus, per motionem capitis, compassionem mentis. Bene ergo transeuntes post plausum et sibilum, etiam caput movent ; quia profecto alienos dolores efficaciter consolari nequeunt, qui doloribus alienis veraciter compati non noverunt. Videte si Paulo aliquod horum defuit. *Manibus plausit Paulus, quando dicebat : Imitatores mei estote, sicut et ego Christi (I Cor. xi)*. Ore sibilavit, quando Corinthios post pœnitentiam consolans : *Scripti vobis non ut contristemini sed ut sciatis quam charitatem habeam, abundantius in vobis (II Cor. ii)*. Caput movit, quando dicebat : *Filioli, quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis (Galat. iv)*. Sequitur in littera : *Super filiam Jerusalem*. Quid Jerusalem, quæ visio pacis interpretatur, nisi cœlestem patriam designat ? Ac si peccatoribus diceretur : Tanto graviores electis quibuslibet de vestri perditione luctum facitis, quanto jam certius est quod ad consortium, et societatem electorum pertinere debuistis. Et quemadmodum vestra salus omnibus gaudium faceret, ita quoque de ruina vestra dolor universorum et tristitia procedit. Et hoc est, quod sequitur : *Hæcine est, dicentes, urbs perfecti decoris, gaudium universæ terræ ? Urbs namque in hoc loco, Ecclesia catholica intelligenda est, in qua portæ et muri sunt ii qui alios et doctrina veritatis informant, et circumspectione ambiunt : quæ videlicet Ecclesia tunc perfectum decorem habet quando, et in prælatis virtus ornat sapientiam, et in subjectis obedientia bonorum operum disciplinam*. Hujus ergo civitatis decor, recte gaudium universæ terræ dicitur ; quia ejus disciplina jam per omnes mundi partes dilatatur. Dicatur ergo : *Hæcine est urbs perfecti decoris, gaudium universæ terræ ? Quasi diceretur : Quomodo tam cito in desolationem venire potuit, quæ prius decore suo universos per mundi circulum electos lætificavit ? Sed quid est quod in ruina quorundam tota Ecclesia quasi desolata plangitur nisi quia dum patitur unum membrum omnia membra compatiuntur : propter quod valde pertimescere debent ii qui in sua iniquitate charitatem aliorum contristant ; quia profecto, sicut illi malis compatiendo sibi adaugent meritum, ita et isti bonos contristando aggravant reatum suum.*



Plauserunt, etc. MORAL. Qui peccatorem blanda A exhortatione ad poenitentiam provocat, quid aliud quam aegroti vulnera ante sectionem palpat? Sicut igitur plaga, quae nec lenem quidem medicamenti tactum sustinere potest, omnino insanabilis creditur, ita peccator qui etiam blandam admonitionem respuit, quasi incorrigibilis reputatur. Hoc est quod propheta hic peccatrici animae cum gravi dolore exprobat, dicens: Plauserunt super te, etc. Ac si dicerent: Prius carnis suggestio facile tibi ad persuadendam iniquitatem praevalere potuit; nunc vero omnis sollicitudo et industria honorum in tui correctione defecit, quantumque prius ad perpetrandum iniquitatem per contemptum fuisti temeraria, tamen nunc in ipsa iniquitate tua per desperationem es obdurata: Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam. Ut tanto gravior ruina ejus ostendatur, jam boni operis viam ingressam fuisse commemorat, et quasi in medio itinere collapsam. Unde et alios transeuntes vocat, ut aperte demonstret, quod ii, qui eam nunc merito virtutum praecedere incipiunt, aliquando posteriores fuerunt. Sed quia electos in ruina proximorum semper et charitas ad compassionem provocat, exemplum ad timorem, recte et transeuntes pariter, et plaudentes describuntur. Proficiendo enim transeunt; compatiendo plaudunt, quatenus sic de profectu suo gaudeant, ut tamen in infirmitate jacentes proximos despiciere non praesumant. Plauserunt, inquit, manibus. Plausus manuum exemplum boni operis; sibilus C verbum consolationis; motio capitis affectum compassionis designat, quia spirituales quique eos quos per iniquitatem corruiisse vident, et exemplo provocant, et verbo confirmant, et quantum de eorum salute gauderent, ipso compassionis suae dolore demonstrant. Sequitur: Haecine est, dicentes, urbs perfecti decoris? Idcirco commemorant quid esse debuerat, ut ad quem miseriam dilapsa sit, citius ex memoria praeteritae dignitatis agnoscat. Urbem vocant quasi sublimem et munitam virtutibus quae prius Deum in se regnantem habuit, quando adhuc dominio vitiorum per consensum subjecta non fuit. Sequitur: Gaudium universae terrae. Ac si dicatur: Quanto plures de ejus profectu gaudere debuerant, tanto plures D nunc ejus ruina et desolatio contristat, ut si sibi parcere non vult, saltem alios in sui perditione affligere erubescat. Omnibus his modis convenitur indurata conscientia, ut tam multiplici medicamine adhibito, tandem ad poenitentiam emollescat.

Aperuerunt super te os suum, omnes inimici tui, etc. LITERAL. Quasi diceret: Si non movet te quod a falsis prophetis illusa es, quod in calamitatem collapsa, in signum et prodigium transeuntibus posita es; vel hoc insensibilitatem tuam compungat, quod inimicis tuis in praedam et conculcationem, in gaudium et subsannationem facta es. Aperuerunt, inquit, super te os suum omnes inimici tui. Aperitio oris tui crudelitatem, et subsan-

nationem designat. Aperuerunt os avidi ad devorandum. Aperuerunt os superbi ad subsannandum.

Sibilaverunt, fremuerunt dentibus suis. Sibilus contemptum exprimit, fremitus iram et indignationem. Omnes inimici tui, Chaldaei, Romani. Gravis pressura ubi omnes premunt et omnes praevalent. Sequitur:

Et dixerunt: Devorabimus. Non parum nocere volunt, sed usque ad consumptionem delere; nec solum delere, sed devorare, qui pascuntur et delectantur in ruina tua. Unde sequitur:

En ista dies quem expectavimus desiderando; invenimus quaerendo; vidimus exultando. Ut quanto affligentium te major est laetitia, tanto amarior et intolerabilior sit miseria tua.

Aperuerunt, etc. ALLEG. Inimici sanctae Ecclesiae haeretici sunt, quia fidei ejus constantiam pravis dogmatibus impugnant. Sed isti contra eam os suum aperire non praesumunt, quandiu in conversatione ejus sapientiam simul et disciplinam florere conspiciunt. Contra sapientiam namque os claudunt, quia ab iis quos in cognitione veritatis stabiles vident, erroris sui documenta abscondunt. Contra disciplinam item os claudunt, quando in conversatione fidelium quod blasphemare possit, non inveniunt. Quod si forte sapientia disciplinam perdidit, contra eam os aperiunt, ut blasphement; aut si disciplina sapientiam non habuerit, contra eam os aperiunt, ut errores disseminent; si vero nec sapientia, nec disciplina in ea fuerit, jam non solum contra eam sed super eam os aperiunt, ut devorent, et quasi incorporando sibi omnes reliquias veritatis consumant in eis quos ad suum consortium trahere valent. Sequitur: Sibilaverunt. In sibilo notare possumus versutas et blandas persuasiones, quibus incautos decipiunt, et quasi serpentem post lenem sibilum, venum mortis infundunt. Quia vero blandimenta haereticorum non ex pietate, sed ex crudelitate procedunt: recte subjungitur: Fremuerunt dentibus suis. Ac si diceretur: Blandum erat quod locutio sibilavit, sed nimis crudele quod intentio fremuit. Sequitur: En ista est dies quam expectavimus, invenimus, vidimus: Oppressionem bonorum, non noctem, sed diem nominant, quia inde ipsi per iniquam laetitia lucent, unde alios tenebrae infidelitatis excitent. Expectavimus, inquit, scilicet desiderantes; invenimus quaerentes; vidimus exultantes. Et nota quia quod occultum est invenitur; quod videtur, apertum. Ac si dicerent: Quod prius, vel in occulto invenire desideravimus, nunc manifestum videmus.

Aperuerunt super te, etc. MORAL. Demones contra animam os aperiunt; quando erectum in bonis desideriis vocibus suggestionis pulsant. Supra autem eam os aperiunt, quando jacentes in prava delectatione non jam suadent iniquitatem, sed imperant. Vel supra eam os aperiunt, quam cum prius blandiendo ad culpam traxerunt, postmodum saeviendo ad poenam exposcunt. Unde subditur: Sibilaverunt-



fremuerunt dentibus suis. Prius enim sibilant, ac deinde dentibus fremunt, quia sicut diximus, post blandam suggestionem crudeliter pœnam exposcunt. De qua videlicet pœna adhuc subinfertur, cum dicitur : Et dixerunt : Devorabimus. Quid namque est aliud devorare, nisi exeuntem a corpore ad damnationem æternam absorbere ? Sciendum vero est quod nunquam animam a corpore exeuntem devorare sufficiunt, quam prius in corpore positam igne vitiorum non excoxerunt. Et idcirco de futura damnatione hominis magna eis fiducia nascitur, cum ei in præsentī vita per iniquitatem dominantur. Postquam igitur dixerat, aperuerunt os, sibilaverunt, recte statim adjunxit, dicens : Fremuerunt dentibus suis ; dixerunt : Devorabimus ; quia ex quo homo suggestioni eorum per consensum peccati subicitur, statim furore venturæ crudelitatis accinguntur. Et quia escam diuturna decoctione jam emollitam aspiciunt, proximam sibi devorationem promittunt. In quo videlicet nomine devorationis, et vehemens eorum desiderium demonstratur, et simul acerbitas damnationis exprimitur. Sequitur : En ista est dies quam exspectavimus, invenimus, vidimus. Qui invenisse se dicunt, quæsisse etiam se priusquam invenirent innuunt. Prius igitur dæmones, quærent, quando secretam intentionem cordis nostri per suggestionem experiri satagunt ; deinde exspectant, quia etsi quandoque tentandi licentiam accipiunt, nunquam tamen vim tentato ad consentiendum inferre possunt. Post inquisitionem autem et expectionem inveniunt, quando post immissam suggestionem tandem spontanei consensus manifesta signa de corde prodire conspiciunt. Ad postremum etiam vident, quando consensus sceleris usque ad effectum procedit operationis.

*Fecit Dominus quæ cogitavit, complevit sermonem suum, etc.* LITERAL. Deinceps post increpationem, consolationem subjungit, dicens : Fecit Dominus quæ cogitavit, etc. Primum consolatur mœrentes per justitiam judicis ; deinde per malitiam hostis. Per justitiam judicis, ne doleant de præterito ; per malitiam hostis, ne desperent de futuro. Magna enim est afflictis consolatio, quod ab illo pœna illata est cui injustitia placere non potest. Magnam item de impetranda misericordia fiduciam præstat, quod ille nobis adversatur qui nostro quoque judici non placere cognoscitur. Dicit ergo : Fecit Dominus quæ cogitavit. Ac si diceret : Hostes nostri exsultant, et suis viribus ruinam nostram ascribunt ; nos autem insultationem eorum tanto levius ferre debemus, quanto verius mala nostra non ex fortitudine eorum, sed ex justo judicio Dei procedere scimus. Fecit Dominus quæ cogitavit. Ordinatam esse ostenditur quod cum præmeditatione factum memoratur, maxime quia longe ante prædictum fuerat, ut murmurandi occasionem contra Deum non habeant qui periculum præscire poterant, et cavere noluerunt. Unde sequitur :

*Complevit sermonem suum quem præceperat a*

*A diebus antiquis.* Præceperat prophetis suis hunc sermonem narrare, et ut saltem diu exspectati pœniterent, non noviter, sed a diebus antiquis, id est longe antequam fieret. Sed quanto diutius per misericordiam exspectati sunt, tanto justius perseverantes in malo graviter puniri debuerunt. Unde sequitur :

*Destruxit, et non pepercit.* Hæc proprie ad ultimam captivitatem referuntur.

*Et lætificavit super te inimicum tuum.* Quanto major opprimentis lætitia, tanto gravior oppressorum est miseria. Sed tamen facile inimici arrogantia contemnitur, si potestas ejus non ipsi, sed Deo tribuatur. Et notandum quod dixi, super te lætificavi inimicum tuum. Contra nos namque, non tamen supra nos inimicus lætificatur, quando nocere quidem permittitur, sed non opprimere ; supra nos autem lætificatur, quando non solum affligit, sed etiam opprimit. Sequitur :

*Exaltavit cornu hostium tuorum.* In cornu fortitudo, et potestas significatur ; per hostes, Chaldæi sive Romani intelliguntur.

*Fecit Dominus quæ cogitavit, etc.* ALLEG. Per hæreticos facit Dominus quæ cogitavit, quia dum ipsi quosdam de Ecclesia ad suos errores pertrahunt, alii in fide, et agnitione veritatis probatiores fiunt. Unde sequitur : Complevit sermonem suum, quem præceperat a diebus antiquis. Sermo namque Dei, quem a diebus antiquis præceperat, sacra Scriptura intelligitur, quæ jam olim mundo edita est ; sed adhuc ex magna parte occulta. Quæ quotidie in mentibus fidelium completur, quando ipsi, hæreticorum quæstionibus exercitati, ad majora virtutum studia succrescunt, et ad altiorem divinatorum eloquiorum intelligentiam proficiunt. Sic nimirum mali etiam tunc divinæ voluntati serviunt, quando ei contraire nituntur, quia sic per eos dispositionem suam complet, quatenus eorum erroribus et reprobos illaqueari permittat et bonos exercent. Sequitur : Destruxit et non pepercit. Quando ab Ecclesiæ unitate quosdam per infidelitatem præcidi patitur ; non parcat, quia eos etiam, qui persistunt in ruina fratrum, mœrores compassionis affligit. Sequitur : Lætificavit super te inimicum tuum, Singularis inimicus Ecclesiæ diabolus est, qui perpetuo odio fideles insectatur, sicut in Apocalypsi legimus de dracone, qui mulierem persequitur (*Apoc. xii*). Iste autem inimicus tunc supra sanctam Ecclesiam lætificatur, quando de illa etiam accipit per quos eam affligit. Sequitur : Exaltavit cornu hostium tuorum. Hostes Ecclesiæ hæretici sunt, qui contra eam expugnandam quotidie aciem producunt. Quorum cornu tunc nimirum exaltari dicitur, quando, multis fidem deserentibus et ad consortium eorum transeuntibus, fidelium populus minor numero invenitur.

*Fecit Dominus, etc.* MORAL. Magna misericordia Dei est, quando peccatori in amaritudinem vertuntur ea quæ perverse diligit, quia ex hoc ipso ad



amorem Dei redire compellitur, quo sibi adversari A  
 conspicit ea quorum desiderio ab amore Dei trahe-  
 batur. Hinc est quod peccatrici animæ in iniquita-  
 tibus suis afflictæ, hoc primum in hoc loco ad con-  
 solationem adducitur, quod scilicet afflictio ejus  
 Dei nutu dispensata, quatenus et eum timeat, cu-  
 jus flagella sustinet, et de ejus simul misericordia  
 confidat, a quo se visitari etiam per tribulationem  
 videt. Fecit Dominus, quæ cogitavit. Ac si dicere-  
 tur: Quia tu noluisti facere quod præcepit, ipse  
 fecit quod cogitavit. Et quia tu contempsisti com-  
 plere sermonem illius quem tibi de tua salute præ-  
 ceperat, ipse complevit sermonem suum quem tibi  
 de tui tribulatione minatus erat. Videte quid in  
 primo homine gestum sit. Præceperat ei Dominus:  
 De ligno scientiæ boni et mali ne comedas; mina-  
 tus fuerat: Quacunque die comederis ex eo, mo-  
 rieris. Noluit homo implere præceptionem, et im-  
 plevit Deus comminationem. Adhuc quotidie ad il-  
 licita, et vetita inhiantibus Deus dicit: Ne tetigeris,  
 ne gustaveris, quacunque die comederis ex eo,  
 morieris. Ego statui, ego præcepi, ut omnem illici-  
 tum affectum sua pœna sequatur, comminatio mea  
 vitari potest; præceptum autem meum cassari non  
 potest. A diebus antiquis hoc præcepi, a diebus  
 antiquis verum esse ostendi. Propter hoc primus  
 homo mortuus est, propter hoc mundus per aquam  
 diluvii deletus est. Neque in te sententia mutari  
 poterit, quæ ab exordio mundi usque ad hoc tem-  
 pus immutabilis semper permansit. Recte ergo af-  
 flictio dicitur, complevit sermonem quem præce-  
 perat a diebus antiquis, ut eo patientius justitiam  
 Dei in sua tribulatione tolleret, quo ab initio mun-  
 di hanc in peccatoribus exerceri videt. Sequitur:  
 Destruxit, et non pepercit. Quid est destruere, nisi  
 ea quæ homo ad illicitam delectationem præpara-  
 verat, dissipare? Destruit autem, et non parcit,  
 quando delectationem aufert, et simul per subse-  
 quentem tribulationem reatum punit. Sequitur:  
 Lætificavit super te inimicum tuum. Singularis ini-  
 micus noster diabolus est, qui contra nos lætifica-  
 tur, quando in iis quæ foris nobis adhærent pote-  
 stas ei conceditur. Cum vero etiam in nosmetipsos  
 sævire permittitur, tunc nimirum supra nos læti-  
 ficatur. Sicut in beato Job factum legimus, cujus  
 prius substantiam perdidit, postmodum carnem  
 percussit. Vel tunc supra nos lætificari dicitur  
 inimicus, quando nobis per consensum iniquita-  
 tis dominatur. Sequitur: Exaltavit cornu hostium  
 tuorum. Quid rectius per hostes animæ, quam  
 desideria carnis accipimus, quæ assiduis tenta-  
 mentis eam impugnant? Quos videlicet hostes tunc  
 nobis quasi tributarios facimus, quando motum  
 carnis ad nutum rationis temperamus. Cum vero  
 affectus peccati in nobis dominari incipit, et  
 mens, non iudicium rationis, sed appetitum car-  
 nis sequitur; tunc nimirum cornu id est fortitudo  
 hostium nostrorum exaltatur. Hæc Deus facere  
 dicitur; quia justo iudicio fieri permittit, ut dum  
 adversarius in culpa nostra nil nisi permissus  
 potuisse cognoscitur, etiam in pœna non timeatur.

A Tantoque humilius mens humana justitia Dei se in  
 flagella subjiciat, quanto certius experimento didi-  
 cit, quod per se prius per patientiam diu culpam  
 toleravit. Valde enim in afflicto animo pondus tri-  
 bulationis allevat, si nec in sua pœna æquitati ju-  
 diciali contradicat.

*Clamavit cor eorum ad Dominum. etc. LITERAL.*  
 Post æquitatem iudicis, etiam per malitiam hostis  
 afflictos consolatur; quia quod Deus iuste permit-  
 tit, ille inique peragit. Dum enim Deus per eum in  
 peccatoribus injuriam suam ulciscitur, ipse per  
 intentionem iniquam Deo injuriatur. Sicut in Isaia  
 dicitur: *Væ Assur virga furoris mei, in manu*  
*eorum indignatione mea (Isa. x)*, ipse autem non  
 sic arbitratur, de quo et hic recte dicitur: Clama-  
 vit cor eorum ad Dominum *super murum filiae*  
*Sion*. In clamore etenim cordis vel crudelitatem  
 accipere possumus, vel superbiam inimicorum.  
 Crudelitatem contra eos, quos opprimebant; su-  
 perbiam contra Deum, quem in oppressione populi  
 sui blasphemabant, et impotentem esse ad salvan-  
 dum credebant. Sed hæc eorum cogitatio ad Deum  
 clamat, quia eum quodammodo et ad miserendum  
 suis, et ad puniendum adversarios provocat. Clama-  
 vit, inquit, super murum. Inde superbiebant  
 quod prævaluerant, quod muros et munimenta  
 urbium obtinebant. Sive per murum intelligere  
 possumus divinam protectionem super quam ini-  
 mici clamant; quia, dum populo Dei propter pec-  
 cata ejus dominari permittuntur, divinæ potentiæ  
 derogant: et hoc eum prohiberi non posse existi-  
 mant, quod ipso permittente, et disponente fieri  
 ignorant.

*Clamavit, etc. ALLEG.* Murus filiae Sion unum-  
 quemque veritatis defensorem significare potest, si  
 per quem cor inimicorum clamat ad Dominum;  
 quia tunc magis hæretici per elationem cordis veri-  
 tatis auctorem despiciunt, cum non solum simplices  
 quosque in Ecclesia, sed ipsos etiam defensores ve-  
 ritatis ad suos errores convertunt.

*Clamavit cor eorum, etc. MORAL.* Si per hostes  
 animæ desideria carnis accipimus, quid per cor  
 hostium, nisi intimam delectationem carnalium  
 desideriorum accipere debemus? Rursumque  
 per murum filiae Sion; quia tunc delectatio carnis  
 injuriosa Creatori efficitur, quando desideria ma-  
 la per consensum animi virtutibus dominantur.  
 De Deo namque dicitur: *In pace factus est locus*  
*ejus (Psal. lxxv)*; quia nimirum in ea mente Deus  
 suaviter requiescit, quæ se ab hujus mundi dis-  
 tractione colligens, ad internam pacem compo-  
 nit. In qua et si foris quantum ad hujus vitæ cor-  
 ruptionem pertinet, terrena desideria perstrepunt;  
 si tamen non admittuntur, in consensum intro,  
 ad aures usque Dei non pertingunt. Cum vero  
 delectatio carnis per consensum usque ad in-  
 teriora animæ penetrat, tunc nimirum cor hos-  
 tium ad Deum intrinsecus præsentem clausit, ut  
 jam ipse importuno strepitu commotus de illa sua  
 quiete exurgens dicat. *Clamor Sodomorum, et*  
*Gomorrhæorum multiplicatus est, et peccatum*



*eorum aggravatum est nimis; sed descendam, et videbo utrum clamorem, qui venit ad me opere compleverint* (Gen. xviii). Et recte; quia iniquitas longe est a Deo, prava desideria non coram Deo, sed ad Deum clamasse perhibentur. Laus enim et gratiarum actio non solum ad Deum, sed etiam coram Deo clamant. Necessitas et iniquitas ad Deum clamant. Quando enim Dei virtutem et magnificentiam laudamus, sive quando de impensa nobis misericordia ei gratias agimus, tunc nimirum coram Deo clamamus. Quando vero inique agendo eum ad iracundiam provocamus, sive quando in necessitate constituti auxilium ejus exposcimus, tunc quasi de longinquo ad eum clamamus. Clamat ergo iniquitas ad Deum, clamat necessitas; sed illa clamat irritans, ista supplicans; illa provocat iram, ista flagitat misericordiam. De clamore necessitatis dictum est: *Clamor filiorum Israel venit ad me* (Exod. iii), vidique afflictionem eorum, qua opprimuntur ab Ægyptiis. De clamore iniquitatis dictum est: *Clamor Sodomorum, et Gomorrhæorum multiplicatus est, et peccatum eorum aggravatum est nimis*. De clamore laudis dictum est: *Clamabunt, etenim hymnum dicent* (Psal. lxiv). De clamore devotionis dictum est: *Clamor meus in conspectu ejus introivit in aures ejus* (Psal. xvii). Clamant angeli in cælo clamore laudis; clamat Moyses in deserto clamore devotionis; clamant filii Israel in Ægypto clamore necessitatis; clamant Sodoma et Gomorrha clamore iniquitatis. Sed tunc clamor iniquitatis ad Deum pervenire dicitur, quando in tantum excrescit malitia, quod amplius tolerari non meretur.

*Deduc quasi torrentem lacrymas per diem et noctem*. LITTER. Erectis per consolationem animis, exhortatio sequitur, in qua peccatores ad penitentiam invitantur. Nec sine causa factum est quod ita quasi ex abrupto in media clausula subito aliam materiam arripit. Sed quia in ipso sermonis decursu occasio exhortandi se obtulit, magisque animos movere consuevit, quod subditum est, quasi ex præcedenti inferens, sic ait: *Deduc quasi torrentem lacrymas, ac si diceret: Quia inimici tui per elationem Deum ad iracundiam provocant, tu per humilitatem penitentiae ejus misericordiam implora; per torrentem autem vehemens motus compunctionis signatur. Cujus etiam perseverantia subinfertur, cum dicitur: Per diem et noctem. Instantia quoque adjungitur, eum subinfertur: Non des requiem tibi. Quasi diceretur: Nec intermittas, nec relaxes impetum lacrymarum, sed omni tempore et omni instantia fletibus insiste; quia et ipsæ lacrymæ vocem suam habent, et clamabunt pro te ad Dominum. Hoc est, quod sequitur:*

*Neque taceat pupilla oculi tui*. Verbum misericordiae est illud. Pupilla, inquit, non solum marginem oculorum, sed ipsum visionis radium procella lacrymarum irrumpens obtenebret, ut dum id etiam, quod tenerum est, affligitur, citius ad misericordiam pietas judicis moveatur.

**A** *Deduc quasi torrentem lacrymas*. ALLEG. Exhortatur propheticus sermo sanctam Ecclesiam pro membris suis infirmantibus lacrymas offerre Domino. Quas lacrymas torrenti comparat. Torrentis enim rivus est ex hiemalibus aquis collectus, qui cum impetu quidem decurrit, sed cito siccatur atque pertransit. Quid autem vita praesens est, nisi hiems, in qua priusquam vitae aeternae claritas appareat, corda hominum nubila adhuc erroris involvunt? Bene ergo sancta Ecclesia lacrymas quasi torrentem deducere praecipitur, quia videlicet electi quique, qui ad gaudia patriae coelestis inhiant, de praesentis vitae miseria sine cessatione suspirant. Sed tunc sine dubio torrentis iste lacrymarum venturae aestatis fervore siccabitur, quando, illucescente claritate aeterna, dolor omnis in gaudium convertetur, ut jam neque dolor ullus esse possit de perditis, neque timor de perituris. Sequitur: *Per diem et noctem*. Per diem prospera, per noctem significantur adversa. Quia ergo sancta Ecclesia quosdam per prospera hujus vitae decipi, quosdam per adversa frangi conspicit, utrorumque ruinam plangens quasi per diem et noctem lacrymas educit. Sequitur: *Non des requiem tibi*. Electi quique dum alios plangunt, sibi quoque requiem non dant; quia dum aliorum lapsus conspiciunt, amplius de sua salute solliciti fiunt. Sequitur: *Neque taceat pupilla oculi tui*. Pupilla oculi, per quam visus dirigitur, congrue spirituales quosque in sancta Ecclesia designat, quorum verbo et exemplo totum corpus Ecclesiae illuminatur. Qui profecto in periculo proximorum nequaquam tacere debent, sed eos, quantum possunt, et precibus sublevare et praedicatione erigere. Nam quia illorum periculum melius ipsis prospicere possunt, peccant revera si de illorum salute etiam plus ipsis solliciti, non sunt. Quod bene singularis illa pupilla, per quam omnes illuminantur, id est Dominus Jesus Christus, ostendit, quando ruinam perfidae civitatis praevidens ipsa exsultante flevit, et in passione positus, et pro persecutoribus orans de illorum salute sollicitus fuit. Pupilla ergo tacitas lacrymas habere non debet; quia spirituales quosque cum affectu compassionis exhibere etiam oportet verbum praedicationis.

**B** *Deduc quasi torrentem lacrymas*. MORAL. Perfecta hic penitendi forma proponitur. Vera namque penitentia a compunctione inchoat, quae per aquam lacrymarum et sordes peccatorum abluit, et animam irrigando ad germina virtutum fecundat. Unde peccatrici animae dicitur, ut primum lacrymas deducat, hoc est deorsum ducat. Rivos namque lacrymarum quasi sursum ducimus, quando pro desiderio coelestis patriae suspiramus. Quando vero ex recordatione peccatorum compuncti ploramus, rivos lacrymarum nostrarum ad inferiora deducimus. Sed prius est ut quisque peccatorum maculas fonte lacrymarum abluat, ac deinde mundata conscientia, compunctionis suae tramitem ad amorem aeternorum convertat. In eo quoque, quod peccator lacrymas



suas deorsum ducere præcipitur, pœnitenti cum compunctione humilitas necessaria esse demonstratur, secundum sententiam Psalmistæ, qui ait: *Cor contritum, et humiliatum Deus non despiciet (Psal. 1)*. Possumus adhuc subtilius aliquid notare in nomine deductionis. Quod enim ducitur, per se quidem movetur; sed tamen motus ejus alieno arbitrio dirigitur. Sunt vero nonnulli, qui cum alios flentes viderint, habere siccos oculos erubescunt, et quadam violentia lacrymas extorquentes, humanos oculos simulata compunctione decipiunt. Quos profecto rectius lacrymas extrahere dicimus, quam deducere. Sunt item alii qui per impatientiam cordis pro accidenti extrinsecus molestia, lacrymas fundunt, quas tamen lacrymas nequaquam ipsi edueunt; quoniam eas de motu cordis sponte quidem manantes ratione non præcedunt. Hi autem quos vere pœnitet, lacrymas educunt; quia per se de ipso compunctionis fonte emergentes ratione præcedente dirigunt, ut nec scilicet per impatientiam erumpant, nec se in humanæ laudis campum a secreto alvei sui laxius diffundant. Qualiter autem educendæ sint lacrymæ, pulchre insinuatur, quando dicitur: Deduc quasi torrentem lacrymas. Torrens namque cum magno impetu decurrit; sed quanto vehementius defluit, tanto citius pertransit. Recte ergo compunctionis fervor torrenti comparatur, quia quanto major vis doloris in compunctione fuerit, tanto citius divina consolatione superveniente, pertransit. Sed quia inchoare bonum parum prodest, nisi perseveranter teneatur, recte secutus adjunxit: Per diem, et noctem. Sunt namque nonnulli, qui post lacrymas, per inanem lætitiâ mentem dissolvunt, et quia cor suum in mœrore perseveranter tenere negligunt, quidquid compunctionis tempore obtinuisse poterant, perdunt. Peccatrix etenim conscientia, sicut ante compunctionis ardorem gravi sæpe mœroris tædio ex recordatione peccatorum afficitur, sic nonnunquam post consolationem lacrymarum, si hanc diligens censura non premat, per ineptam lætitiâ dissipatur. Et idcirco valde necessarium est ut postquam compunctionis gratia mentem a mœrore erexerit, nec hanc postmodum sua lenitas per immoderatam lætitiâ dissolvat, nunquam eam pristini mœroris custodia derelinquat. Recte itaque, peccator monetur per diem et noctem lacrymas deducere. Mœroris namque tædium quasi nox quædam mentis est; dies vero mentis est gaudium compunctionis. Quasi ergo per noctem lacrymas deducit, qui in mœroris tædio animum per compunctionem relevat. Per diem lacrymas deducit, qui post compunctionis lætitiâ mentem in mœrore conservat. Dicatur ergo pœnitenti: Deduc quasi torrentem lacrymas per diem et noctem. Ac si diceretur: Quid multum te peccasse consideras, necesse est ut nec in magnitudine nec in diurnitate doloris tibi parcas. Sed quia multi cœptum quidem pœnitendi studium non deserunt, sed tamen ab illo fervore suo, quo cœperant, paulatim tempore succedente tepescunt. Ad-

A jungit, dicens: Non des requiem tibi, quia item instantiam laboris devotio humilitatis commendabilem Deo reddit. Postremo subinfert et dicit: Neque taceat pupilla oculi tui. Quid enim per pupillam oculi, nisi humilem devotionem mentis intelligere debemus? Cum ergo requies non datur, pupilla quoque oculi clamat: si dum caro foris affligitur, intus mentis devotio orat.

B *Consurge, lauda in nocte in principio vigiliarum.* LITERAL. Quantum ad litteram pertinent, tres sunt vigiliæ noctis, singulæ trium horarum spatio distinctæ. Et mirabili satis dispensatione propheta peccatores ad pœnitentiam invitans, non statim ipsam pœnitendi perfectionem proponit, sed paulatim exhortationem promovet, ut quod fortassis mens infirmo simul non caperet, facilius divisum ferre possit. Supra peccatoribus præceperat, ut pro peccatis suis lacrymas pœnitendo funderent: hic jam præcipit ut in tribulatione sua etiam justitiam Dei laudent; ibi in nocte flere, hic etiam in principio vigiliarum ad fletum consurgere jubet. Plus ergo est ad fletum consurgere, quam solummodo flere; plus in principio vigiliarum, quam in nocte. Sequitur:

*Effunde sicut aquam cor tuum.* Sicut aquam cor effundit, qui ex intimo cordis affectu lacrymas producit, quod adhuc planius insinuans adjungit:

C *Leva ad eum manus tuas.* Elevatio namque manuum cordis affectum exprimit. Vel certe qui manus elevat, in necessitate se esse, et auxilium desiderare demonstrant. Et ideo recte populus in tribulatione constitutus, manus ad eum levat, ut se non in suis viribus, sed in solo Dei auxilio spem habere ostendat. Sequitur:

*Pro anima, id est pro vita, parvulorum tuorum: qui fame pereunt in capite omnium compitorum.* Capita compitorum suunt, ubi plures viæ e diverso venientes in unum concurrunt. Quæ loca magis ab hominibus frequentari solent, ut amplior confusio inibi tabescentium insinuetur. Et vide quomodo in arcto reposita est: ubi de vita impetranda causa agitur, quando parentes pro anima parvulorum suorum exorare jubentur. Idcirco autem parentes pro anima parvulorum suorum exorare jubentur; idcirco autem parentes pro parvulis suis supplicare debent, quia pro culpa parentum parvuli pœnam sustinent, ut inde remedium veniat, unde venit periculum.

D *Consurge, lauda in nocte, etc.* ALLEG. Quid per noctem, nisi vita peccatorum signatur? Quales erant aliquando ii quibus Paulus loquitur, dicens: *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino (Ephes. v)*. Monet ergo propheticus sermo sanctam Ecclesiam, ut surgat, et laudet in nocte. Surgit enim, cum pro salute proximorum, quos periclitari videt, de quiete contemplationis ad opus prædicationis se erigit. In nocte laudat, quando peccatores ad pœnitentiam provocans divina eis magna manifestat. Sed multi sunt peccatores, qui verbum veritatis audire etiam contemunt, et eo magis aures cordis ad laudem Creatoris non inclinant, quo



in suis peccatis considerandis minus evigilant. De quibus in psalmo legitur : *In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra* (Psal. cxxxvi). Et in Evangelio : *Nolite margaritas vestras ante porcos projicere* (Matth. vii). Et ideo cum dixisset : *Lauda in nocte, recte secutus, adjunxit, in principio vigiliarum. Ac si diceret : Illi peccatores laudem Dei audire possunt, qui in suis peccatis considerandis vigilare cœperunt. Sequitur :*

Effunde sicut aquam cor tuum. Quid per cor, nisi profunda intelligentia ? et quid per aquam, nisi doctrina facilis figuratur ? Cor ergo sicut aquam effundit, qui hoc, quod intus solidum gustat, infirmis auditoribus facili foris eruditione insinuat. Quemadmodum Psalmista dicit : *Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam* (Psal. xviii). Qui autem pro amore Dei infirmis auditoribus sponte condescendit, is proculdubio coram Domino cor suum sicut aquam effundit, Sequitur :

Leva ad eum manus tuas pro anima parvulorum tuorum. Per elevationem manuum affectum cordis, per parvulos, infirmos fide, et necdum sensum maturum habentes, accipere possumus. Sancta ergo Ecclesia pro anima parvulorum suorum manus ad Deum elevat, quia pro salute eorum, qui adhuc pusilli fide sunt, non solum se in verbo prædicationis exercet, sed etiam humili devotione divinam jugiter misericordiam interpellat. Vel per manus, opera accipere possumus, quia ille nimirum pro anima parvulorum manus ad Deum elevat, quia ad provocandos animos carnalium spiritualibus studiis insistens, etiam licita quædam humanæ conversationis negotia devitat. Sicut Paulus, qui ut occasionem accipiendi pseudoapostolis tolleret, stipendia prædicationis, quæ secundum consuetudinem, imo secundum divinam institutionem accipere licuit, propriis manibus victum quærens omnino accipere recusavit. De quibus parvulis adhuc subditur :

Qui defecerunt fame in capite omnium compitorum. Quid per compita, nisi humanas actiones ? et quid per caput compitorum, nisi concupiscentiam carnis, quæ causa est et origo omnium humanarum actionum, intelligere debemus ? Parvuli ergo in capite compitorum fame deficiunt, quia carnales quique quanto magis terrenis desideriis inhiant tanto magis a pastu spiritualis alimonie jejulant.

Consurge, lauda. MORAL. Nova quædam vita hic mihi oriri videtur. Consurge, lauda. Quam pulcher ordo, primum transacta mala fletibus tegere, postea ad bona agenda consurgere deinde laudare ? *Non est enim laus speciosa in ore peccatoris* (Eccli. xv); neque potest veraciter bona agere, qui prius non studuerit efficaciter mala præterita emendare. Lauda, inquit, in nocte in principio vigiliarum. Peccator sub flagello positus gratum Deo sacrificium immolat, si et de sua tribulatione Deum laudat. Unde recte cum dixisset propheta, lauda in nocte, hoc est in tribulatione, statim adjunxit : *In principio vigiliarum. Primum etenim peccator evi-*

*gilat, quando mala sua agnoscere incipit. Secundo evigilat, quando mala sua agnita pœnitendo corrigit. Tertio evigilat, quando ad bona agenda se convertit. Quarto evigilat, quando bona opera sua custodit. Ista quatuor vigiliis in nocte præsentis vitæ custodire debemus, ne videlicet nos vel in consideratione peccatorum nostrorum ignorantia fallat, vel in correctione negligentia, sive contemptus præpediat. Nec vel ad bona agenda desidia torpentes reddat, vel ad bona conservanda præsumptio minus cautos efficiat. Ille ergo in principio vigiliarum Deum laudat, qui mala, quæ patitur, ex consideratione iniquitatis suæ, justo Dei judicio se sustinere fatetur. Sequitur : Effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini. Cæteri liquores, cum effunduntur, vel quadam pinguedine superlinita, vel sapore infecta vasa relinquunt ; sola aqua sic effunditur, ut munditias vasis nullis ejus reliquiis maculetur. Qui ergo peccata sua confitentes, aliqua vel negligentie vel erubescencie causa effundere timent, quasi in vase cornis spissi liquoris reliquias retinent. Qui vero cuncta quidem peccata sua per confessionem ejiciunt, sed adhuc tamen peccandi affectum non derelinquunt : ab his quidem quamvis noxius liquor prorsus ejectus sit, vasa tamen sapore infecta permanserunt. Quisquis autem per puram confessionem, et contritionem cordis sui secreta revelans, nihil aut per affectum retinet, aut per silentium tegit : ille quasi aquas cor suum ante conspectum Domini effundit. Possumus adhuc in effusione aquæ aliquid ædificationis attendere, quia sicut aqua effusa sordes abluit, sic confessio peccata ejiciens, conscientiam mundam reddit. Et bene ante conspectum Domini cor sicut aqua effundi dicitur, quia nisi quis cum opere pravo, etiam effectum peccandi a corde suo excludat, teste conscientia plene coram Deo non excusatur. Sequitur : Leva ad eum manus tuas. Per manus operatio significatur. Manus ergo suas pœnitens ad Deum elevat, quando per exhibitionem bonorum operum coram Deo præteritas offensas excusat. De quo adhuc subditur : Pro anima parvulorum tuorum, qui defecerunt fame in capite omnium compitorum. Per parvulos, non incongrue infirmos animæ cogitatus accipimus, per caput omnium compitorum, concupiscentiam carnis : quæ omnium terrenorum desideriorum et actionum, quasi multarum viarum caput est et origo. In capite ergo compitorum parvuli nostri fame deficiunt ; quia teneræ cogitationes nostræ dum desideriis carnalibus inhærent, spiritualis alimonie pastum perdunt. Sed nos pro anima parvulorum nostrorum manus ad Deum elevamus, cum per studium bonorum operum ad nutriendos animæ cogitatus spiritualis desiderii gratiam in nobis renovari exposcimus. Qui videlicet parvuli nostri in capite compitorum fame deficiunt, quia teneræ cogitationes animi, quas intrinsecus bona desideria non pascunt, mox per carnis concupiscentiam (quæ omnium malorum desideriorum caput est) emollitæ, omne virtutis rō-*



bur amittunt. Vel ipsa concupiscentia fames est, in qua fame deficiunt quia semper esuriunt, et expleri non possunt.

*Vide, Domine, et considera quem vindemiaveris ita.* LITERAL. Non desistit a proposito iste donec cœpta ad finem perducatur. Hactenus enim cum peccatoribus egit, ut eos ad pœnitentiam inflecteret; nunc pœnitentium causam suscipiens ad Deum sermonem convertit, ut eum pro peccatoribus exoret. Simulque pœnitentibus formam orandi tribuit, aperte demonstrans quantum se in precibus peccator humiliare debeat; cum ipse pro alienis peccatis orans, tam humili devotione se pietati divinæ prosternat. Quia enim causam difficilem se suscepisse considerat, nequaquam aperta postulatione aures divinæ majestatis pulsare præsumit; sed cum magna reverentia, et tremore suæ petitionis affectum insinuando demonstrat, dicens: Vide, Domine et considera quem vindemiaveris ita. Quasi diceret: Populum tuum, quem tantum dilexisti, qui præter te solum alium protectorem non habuit, sic vindemias, sic opprimis, sic devastas? Præsentem, quæso, calamitatem considera, pristinum amorem ad memoriam revoca; ut si nostris precibus non flecteris, tuis saltem beneficiis ad compassionem et misericordiam movearis. Vindemiaveris, inquit. Ergo non saltus fuit populus iste, sed vinea cultorem habens, et fructum ferens. Attamen lignum vitis sine cultura et fructu inutile est, et universis lignis vilius. Cur ergo depopularis, quem colendo pretiosum, depopulando vilem, et inutilem reddis? Quem vindemiaveris, inquit, ita. Quomodo ita? tam horribiliter, tam monstruose, ut vinea ipsa devoret botros suos, et mulieres comedant filios suos. Ideo exclamat, et dicit: .

*Ergone, Domine, mulieres comedent fructum suum.* Id est filios suos, *parvulos* scilicet *ad mensuram palmæ*, id est teneros, vix dum palmæ mensuram habentes; ut immanis crudelitas, imo crudelis necessitas, ostendatur. Bene autem mulieres, non matres: quia materno nomine appellandæ non sunt, quæ maternæ pietatis memores non fuerunt. Fructum, inquit, suum comedent. Ac si diceret: Cætera germinantia ideo fructificant, ut natura generis, quæ in parente consumitur, in prole germinis sui reparatur: homo vero naturæ suæ oblitus, fructum suum consumit, per quem reparari debuit. Sed ne sic exaggerando miseriam Deum non poscere sed provocare videatur, et quasi injustum arguere, qui tam crudeliter populum suum punierit; post commemoratam pœnam, culpam etiam subjungit: callida quadam concessione utens, ut scilicet dum in culpa confitenda a justitia Dei non discrepat, in misericordia quærenda petitionem suam citius ad effectum perducatur, dicens.

*Si occiditur in sanctuario Domini sacerdos, et propheta.* Ac si diceret: Quia prophetas tuos, et sacerdotes tuos in sanctuario tuo occiderunt: sicut de Zacharia legitur filio Joiadæ sacerdotis,

A quem Joas rex interfecit: quia, inquam, eos occiderunt, ideo mulieres fructum uteri sui comederunt, sicut de Maria filia Eleazari legitur: et in libro Regum scriptum est (*II Par. xxvi*), et Josephus quoque testatur. Quod autem dicit, si occiditur, sic est ac si diceretur: Quamvis tantum peccaverint, nunquid tamen tam immani ultione plecti debuerunt? In quo tamen iudicium Dei non reprehendit, sed culpam concedens, et pœnam aggravans, misericordiam quærit. Quasi diceret: Non est populus, quem tantum dilexeris: cui tanta beneficia contuleris; non est populus, qui tantum tibi peccaverit: non est populus, quem tantum dejeceris, tantum vindemiaveris, atque destruxeris: et ideo, quæso, vide, non transitorie, sed considera diligenter nostram miseriam, ut solitam nobis iterum impendas misericordiam.

Vide, Domine, et considera quem vindemiaveris ita. ALLEG. Ecclesiam sanctam vineam appellari plurimis Scripturarum testimoniis comprobatur. De quibus est illud evangelicum, ubi paterfamilias operarios in vineam suam misisse dicitur (*Matth. xx*): quia videlicet Deus Pater, dum prædicatores ad erudiendam Ecclesiam dirigit, quasi ad excolendam vineam suam operarios mittit. Nam quemadmodum vitis magno quidem studio et labore excolitur, sic nimirum vita fidelium non nisi magno studio et labore ad virtutem informatur. Et quemadmodum vinea, si fecunda fuerit, quidquid sibi laboris impenditur, fructuum ubertate restaurat: sic nimirum vita fidelium, si studio disciplinæ et eruditionis ad virtutem profecerit, omnem adhibitam diligentiam pretioso fructu recompensat. Item sicut lignum vitis sine fructu inutile est, et universis lignis vilius: sic profecto ii qui per fidei doctrinam excoluntur, et tamen fructum boni operis non afferunt, pejores sunt illis qui ad agnitionem veritatis nunquam pervenerunt. Et fit nonnunquam ut hos tales Deus gratiam subtrahendo, tanto profundius deserat, quanto diutius post impensam gratiam ingratos tolerabat. Quorum tamen lapsum perfecti quique ex compassione charitatis plangunt, et qui eos jam per fidem ejusdem secum corporis membra esse gaudebant præcisionem eorum sine dolore ferre non possunt. Ex quorum voce hic dicitur: Vide, Domine, et considera quem vindemiaveris ita. Malos Deus vindemiare dicitur, cum eos, quos ipse prius per prædicatores suos excoluit, subtracta gratia, steriles et inanes derelinquit. Potest etiam vindemiatio ipsa ad electos referri: quia nimirum cum quidam per infidelitatem ab unitate Ecclesiæ subtrahuntur, ipsa sancta Ecclesia nuda sibi, et quasi spoliata remansisse videtur. Unde cum magno pietatis affectu pronuntians hoc, quod dicitur. Vide, Domine, et considera quem videlicet populum tuum, pusillum gregem tuum, vindemiaveris ita. Quomodo? Subjungit: Ergone comedent mulieres fructum suum, parvulos ad mensuram palmæ? Per mulieres recte malos prælatos accipimus sensu carnali et fluxis



moribus emollitos : qui fructum suum comedunt, quia de labore ministerii sui in præsenti vita remunerationem accipiunt. Econtrario bonis doctoribus dictum est : *Posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat* (Joan xv). Electorum namque fructus permanere dicitur : quia in eis pro labore non transitoria merces, sed præmium æternum conservatur. Mulieres ergo comedunt fructum suum quia carnales quique dum in hac vita laboris sui mercedem accipiunt, quasi fructum non conservant, sed consumunt. Quis sit autem fructus iste, declaratur, cum dicitur : Parvulos ad mensuram palmæ. Parvulos hic non ætate, sed fide intelligere debemus. Per palmam vero initium boni operis non inconvenienter accipimus. Quid est ergo quod fructus mulierum parvuli dicuntur, nisi quod fides credentium doctoribus ad præmium reputatur ? Quos videlicet carnales prælati comedunt : quia nimirum dum terrenis inhiant, infirmos fide et incipientes per exemplum mali operis ad interitum pertrahunt, quos prius per verbum prædicationis in fide genuerunt. Vel certe tunc mulieres parvulos suos comedunt : quando mali prælati in Ecclesia subjectos quosque, quos cibo cœlestis alimonie pascere debuerant, rebus suis amare spoliando per inopiam affligunt. Sequitur : Si occiditur in sanctuario Domini sacerdos, et propheta ? Per sacerdotem, et prophetam, eodem hic intelligere debemus quos paulo ante per mulieres significatos accepimus : prælatos scilicet qui et per verbum prophetæ sunt, et per ministerium sacerdotes. Per sanctuarium autem cultus divinus exprimitur : ac si diceretur : Si prælati spiritualia indigne administrando pereunt : quare ergo scelera eorum subjectos innocentes involvunt ?

Vide, Domine, et considera quem vindemiaveris ita. MORAL. Congrua similitudine anima a Deo vindemiari dicitur, quando donis virtutum malis meritis suis exigentibus justo Dei judicio spoliatur. Sed est quædam vindemiatio cæteris perniciosior. Minus namque periculosum est virtutem perdere, quam de virtute superbire. Qui enim virtutem perdit, saltem detrimentum suum agnoscit : qui autem de virtute superbit, damnum tolerat, ignorat, Propheta plangens animam, non solum peccatricem, sed et de virtute falsa inaniter gloriantem. Vide, inquit, Domine, et considera, quem vindemiaveris ita. Et quasi quærens quomodo ita ? exclamando subjungit, et dicit : Ergone comedent mulieres fructum suum ? Mulieres namque fructum suum comedunt, quando carnales animæ de virtutis opere se per inanem gloriam pascunt. Fructum comedunt, quia inde virtus ipsa consumitur, unde mens illicita refectione delectatur. Fructum, inquit, suum. Qualem fructum ? Parvulos ad mensuram palmæ. Per parvulos, accipere possumus virtutes teneras, et nondum ad robur virile promotas : per palmam vero, boni operis initium. Parvuli ergo ad mensuram palmæ sunt virtutes teneræ, et ad initium bonæ operationis noviter productæ. Quid est ergo quod mulieres parvulos ad

A mensuram palmæ comedere dicuntur nisi quod mentes carnales etiam de initio boni operis gloriantur ? Sequitur : Si occiditur in sanctuario Domini sacerdos, et propheta ? Mens justæ, quæ sanctuarium Dei est, duo in se habere debet : prudentiam scilicet et devotionem : prudentiam, per quam instantia mala prospiciendo calcet ; devotionem, per quam mala præterita supplicando abstergat. Quid ergo devotionem, nisi quemdam animæ sacerdotem expiationis sacrificium jugiter in conspectu Domini offerentem ; et quid prudentiam, nisi prophetam accipimus ? Quia ergo sacerdos, et propheta, in sanctuario Domini occiditur, mulieres parvulos suos comedunt : quia nunquam mens hominis de se virtute sua extolleret, nisi prius per negligentiam, et præteritorum malorum memoria, et futurorum cautela in ea tepuisset.

*Jacuerunt in terra furoris puer, et senes [senex] : virgines meæ, et juvenes mei in gladio ceciderunt.*

LITERAL. Vel sic distinguendum est : Puer et senex in terra jacuerunt, virgines et juvenes in gladio ceciderunt. Sive ita : Puer, et senex, et virgines in terra jacuerunt, et juvenes in gladio ceciderunt. Quod propterea fortassis magis congruit : quia virgines in bello gladio perimi non solent, sed in direptionem, et deprædationem adduci, nisi ex hoc ipso atrocitas hostium designetur, qui nec virginibus parcerent. Dicit ergo populum bellatorem cum regibus et principibus gladio corruisse, reliquam multitudinem diversi sexus et ætatis in captivitate distractam. Puer, inquit, et senex, et virgines : infirma ætas, infirmus sexus, in terra jacuerunt, sine misericordia, sine humanitate abjecti, in terra furoris. Non solum in terra, quod ad pœnam sufficere posset ejusmodi, sed in terra furoris. Vel in terra sua, quam Dominus in furore suo vastari, et depopulari permisit : vel in terra aliena, ad quam furor Domini eos expulit. Sequitur :

*Interfecisti in die furoris, percussisti, nec misereris [misereris].* Quasi dicat : Tibi, Domine, nostram calamitatem ascribimus : de nostra miseria tecum causam inimus. Quia plagam, quam hostis sævientis furor intulit, ira tua nostris prius peccatis provocata, dictavit. Interfecisti eos, qui in gladio ceciderunt : percussisti eos, qui in terra jacuerunt : nec misereris, ut cum tot jam periisse videas, ab iis saltem, qui superstites adhuc sunt, flagellum tuæ indignationis avertas. Quæso, Domine, obsecro, Domine, miserere : ut exitium, quod te irascente incidimus, te miserante, evadamus.

Jacuerunt in terra puer, et senes. ALLEG. Sicut populus, sic et sacerdotes. In terra jacuerunt, in terrenis desideriis quieverunt. Nec solum quieverunt (quod superius significatum est, cum dictum est : sederunt in terra, conticuerunt senes), sed et dormierunt : quia jacuerunt, ut jam se ipsos nesciant : et omni ratione sopita unde venerint, non considerent, aut quo tendant. Quibus per Paulum dicitur : *Surge, qui dormis : et exsurge a mortuis, et*



*illuminabit te Christus (Ephes. v).* Heu quam male jacent; qui in terra jacent! quam male dormiunt, qui in terra dormiunt! qui in terra requiescunt, et cum evigilant, nihil divitiarum in manibus suis inveniunt! Quidquid enim temporaliter amatur, quasi somnium est, et evanescit, cum homo in morte evigilare cœperit. In terra, inquit, furoris jacuerunt. Quid per terram furoris, nisi hunc mundum accipere debemus: in quo genus humanum propter primi reatus vindictam, de paradisi felicitate ejectum, et exsilio damnatum est? Quanta ergo vesania, ut in hac peregrinatione homo requiem quærat, quo se in ira divinæ ultionis projectum esse non dubitat? Sequitur: Virgines meæ, et juvenes mei in gladio ceciderunt. Per gladium in hoc loco doctrina hæreticorum signatur, de quibus in psalmo dicitur: *Lingua eorum gladius acutus (Psal. lvi)*; quia dum aliquos ab unitate catholicæ fidei ad suos errores pertrahunt, quasi membra a corpore præcidunt. Per virgines autem et juvenes, fideles signantur, qui et virgines sunt, quia integritatem fidei pravis operibus corrumpunt; et juvenes sunt, quia per constantiam mentis adversis ingruentibus non cedunt. Quid est ergo quod virgines in gladio cadere dicuntur, nisi quia, testante Apostolo, *bonos mores mala colloquia corrumpunt (I Cor. xv)*, et dogmata hæreticorum, in quibus fidei castitatem violare prævalent, postmodum etiam bonorum operum integritatem subvertunt? Juvenes in gladio cadunt, cum ii quorum constantia adversis superari non potuit, dolis verborum succisi ad infidelitatem corruunt. Vel si alteram distinctionem sequimur, virgines in terra jacent, quando in mente terrenis desideriis inhiant, qui foris per exhibitionem operis castitatem simulant intentionis. Per juvenes etiam, superbos, et de suis viribus præsumentes intelligere possumus, quia vita homini in hac præcipue ætate et calore et robore viget. Juvenes ergo in gladio cadunt, quia cum, Deus, superbos despicias, il qui hæreticorum erroribus subvertuntur, constat quod nequaquam a cognitione veritatis caderent, nisi prius alta de se sapuissent. Sequitur: Interfecisti in die furoris; percussisti, nec misereris. Interfecit eos, qui per infidelitatem corruerunt; percussit eos, qui in lapsu pereuntium per passionem charitatis vulnerati sunt. Non miseretur, quia dum lapsos non erigit, etiam dolorem stantium non consolatur.

Jacuerunt in terra furoris puer, et senes. MORAL. Terra furoris est caro nostra mortalis, quæ ante peccatum primi hominis virtutum germina protulit; postea autem ex maledictionis sententia spinas et tribulos vitiorum germinare cœpit. Parvulus autem est sensus carnis, quia, quantum in se est, semper puerilia quædam et vana appetit. Sicut autem per parvulum sensum carnis accipimus, ita per senes judicium et appetitum mentis intelligere non inconvenienter possumus; quia et in discernendo mens esse debet matura, et in appetendo non temeraria.

**A** Parvulus ergo cum senibus in terra furoris jacet, quando id etiam nostræ corruptionis, quod vindicta prævaricationis intulit; carnalis mens non solum secundum sensum, sed etiam secundum judicium, et appetitum sibi ad delectationem substernit, et ibi se putat requiescere, ubi projecta est vapulare. Sequitur: Virgines meæ, et juvenes mei in gladio ceciderunt. Per virgines, castas cogitationes; per juvenes, fortitudinem atque constantiam animi; per gladium, tentationem adversarii accipere non inconvenienter possumus. Quia enim ætas juventutis ampliori robore viget, quid aliud fortitudo bene agendi et perseverandi constantia, quam quidam juvenes sunt in animo rationali? quia et ad inchoandum opus prompti sunt, et in cœpto opere sine defectu persistunt. Recte ergo prius senes in terra jacuisse dicuntur, ac deinde virgines et juvenes in gladio cecidisse memorantur; quia ex quo judicium mentis et appetitus terrena delectatione corrumpitur, superveniens tentatio facile et bonarum cogitationum integritatem violat, et fortitudinem atque constantiam animi subnervat. Quia enim, ut sæpe dictum est, cogitationes ab affectibus prodeunt, dum ex corruptis cogitationes corrumpuntur, quasi ex infecta radice rami amaritudinem trahunt. Cumque carnalis animus extra carnem nihil appetit aut discernit, omnis mox fortitudo ejus atque constantia, in tentationem carnis emollescit. Neque hoc prætereundum est quod cum senes in terra sedent, virgines capita sua cinere spargunt; cum senes cilicio induuntur, virgines capita in terram abjiciunt, cum senes in terra jacent, virgines in gladio cadunt; quia profecto secundum corruptionem affectuum crescit corruptio cogitationum. Sequitur: Interfecisti in die furoris, percussisti, nec misereris. Quasdam virtutes Deus aliquando in animo per tentationem perimi, quasdam vulnerari permittit, ut dum tentatus aliqua adhuc bona se retinuisse videt, prorsus in desperationem non corruat; dum vero quædam se perdidisse aspicit, de suis viribus non præsumat; et tanto verius id, quod amisit, recuperet, quanto subtilius suo damno edoctus, id ipsum, quod retinuit, ex se non esse jam videt. Sed quia multi non ad correptionem, sed ad subversionem tentari permittuntur, idcirco homo, qui sæ tentationis causam semper scire non potest, periculum semper timere debet, propter quod recte ex voce trepidantium subjungitur: Nec misereris. Quæ nimirum sententia timoris est, non assertionis. Quia enim cito a tentatione non liberat, ideo tentatus flagellum suum iræ, et non misericordiæ esse putat; quod tamen desperantis non est, sed timentis, ut diximus.

*Vocasti quasi ad diem solemnem.* LITERAL. Ac si diceret: Inimici quidem semper ad nocendum parati sunt; sed tamen, nisi vocentur, venire non possunt. Non igitur arguit, sed honorat Deum iste, qui nihil viribus inimicorum tribuit, sed divinam potentiam etiam in sui oppressionem extollit. Vocasti,



inquit. Quasi diceret : Eorum fuit velle, tuum concedere, ut ex hoc ipso attendas, quod et tuum est liberare. Vocasti quasi ad diem solemnem, id est ad diem lætitiæ et gaudii ; non quod bonitas tua in nostra miseria delectata sit, sed quia malitia eorum in hoc exultavit, ut idipsum te ad miserendum provocet, et citius nobis compatiaris, dum eos inique super nos gaudere conspicias.

*Qui terrerent me de circuitu.* Qui me undique arceant, ne manus persequentium evaderent, ad similitudinem venatorum qui clamore feras in retia compellunt. Notat tempus illud quando Judæis fugientibus Babylonios finitimæ nationes circumquaque eis fugæ præsidium obstruxerunt, ne evaderent manus inimicorum quando Sedechias cum exercitu bellatorum fugiens in campo Hiericonto comprehensus est, et reductus in Reblata ad regem Babylonis, ibique filiis ejus coram eo interfectis, ipse cæcatus est, et abductus in Babylonem. Unde sequitur :

*Et non fuit in die furoris Domini qui effugeret, et relinqueretur.* Relinqueretur, subauditur, vivus; vel relinqueretur in terra sua, et non abduceretur captivus.

*Quos educavi, et nutriti.* Educavi ad disciplinam, et nutriti ad fortitudinem : qui magis plangendi.

*Inimicus consumpsit eos.* Id est, usque ad inter necionem delevit.

Vocasti quasi ad diem solemnem : qui terrerent me de circuitu. ALLEG. Potest non inconvenienter in hoc loco tempus extremi examinis designari : quæ dies vel ideo solemnis dicitur, quia tunc gaudia justorum inchoabunt, sive quia tunc omnia in medium discutienda deducuntur. Quod nimirum tempus ita nemo sine terrore expectat, sicut nemo est, cui sine culpa præsentis vitæ cursum transire contingat. Electi vero dum se pro præsentis vitæ miseria lamentis afficiunt, etiam mala quæ restant ante oculos mentis adducunt, et sollicitè futuros terrores considerando, ut ibi iudicium evadant, hic se iudicant. Considerant sævissimos exactores dæmones, ad quorum præsentiam etiam electi terrebuntur : qui undique arceant iudicandos, ita ut nemo locum avadendi habeat, nisi misericordia iudicis districtionem temperaret ultionis. Quando multos, qui hic in disciplina Ecclesiæ educati, et doctrina veritatis nutriti inter filios Dei computandi videbantur, inimicus consumet et secum ad perditionem trahet. Potest etiam de paganis et hæreticis, sive quibuslibet infidelibus dici, præcipue in tempore Antichristi, quando diabolus undique in membris suis ad persecutionem fidelium laxabitur. Qui dies ideo solemnis dicitur, quia tunc iniqui de oppressione bonorum lætabuntur; quia non est qui effugiat et relinquatur, dum alios in veritate persistentes corporaliter puniunt, alios autem sibi consentientes spiritualiter occidunt. Unde sequitur : Quos educavi, et nutriti, inimicus consumpsit; quia nimirum multi tunc ad infidelitatem corrueant,

qui in disciplina Ecclesiæ educati, et doctrina nutriti fuerunt. Educavi, inquit, et nutriti, non solum nutriti, quia fortes etiam, quos pondus tribulationis oppressit, inimicus consumpsit. Bonos quidem persequendo affligere inimicus potest, consumere autem non potest; qui autem tribulatione superatur, ille ab inimico consumitur.

Vocasti quasi ad diem solemnem, qui terrent me de circuitu. Vita humana quasi circuitus quidam est, quæ post excursum actionum temporalium, illuc tandem redit per mortem, unde prodiit per nativitatem. Sed in hoc circuitu fidelis anima diem solemnem celebrat; quia, dum per internum gaudium in amore æternorum figitur, ab omni foris illicita occupatione feriatur. Cum vero animus antea mala ad memoriam revocat, et ex eorum consideratione amplius per compunctionem accenditur, quasi de circuitu celebraturi ad solemnitatem invitantur. Sicut per Psalmistam dicitur : *Reliquiæ cogitationum diem festum agent tibi (Psal. LXXV).* Sed quia peccatoris mentem ante compunctionis ardorem præteritorum malorum recordatio quodam sui reatus terrore concutit, recte istos de circuitu, et ad solemnitatem pariter, et ad terrorem vocatos dicit. Sciendum tamen est quod aliter ille terretur qui nihil boni egisse se meminit, atque aliter ille qui bonis actibus suis quædam, pro quibus timeat, mala admista cognoscit. Quando igitur homo circumspicit actiones suas, et in eis quædam invenit ubi confidat, quædam vero pro quibus timeat : terretur quidem, sed non de circuitu, quia in altare peccatrix conscientia ex memoria sui reatus stringitur; ex altera parte in fiducia boni operis dilatatur. Sed dum peccatoris animum ex omni parte facta sua accusant, tunc quasi in circuitu terretur; quia hinc inde omnia formidanda conspiciens, per solam angustiam intra semetipsum coarctatur. Hoc etiam convenienter in persona peccatricis animæ dicitur quando de corpore exiens undique malorum suorum memoria occurrente turbatur. Unde et recte dictum est : Vocasti. Homo namque quandiu in hac vita est, debet ante acta mala assidue ad memoriam revocare, ut se ipse spontaneo terreat ad pœnitentiam, sicut Psalmista de se testatur dicens : *Peccatum meum coram [contra] me est semper (Psal. L).* Et in alio loco idem ait : *Cogitabo pro peccato meo (Psal. xxxvii).* Quisquis autem hic malorum suorum recordari noluit, illic ea Deus in testimonium damnationis ante oculos mentis ejus vocabit, quatenus ex memoria eorum ibi terreatur ad pœnam, qui hic salubriter noluit terri ad pœnitentiam. Sicut divina vox per eundem Psalmistam loquitur, dicens : *Arguam te, et statuam contra faciem tuam (Psal. XLIX).* Cujus vocationis modus adhuc demonstratur cum dicitur : Quasi ad diem solemnem. Dies enim solemnis, est dies quietis; dies vocationis quando operari non licet, sed iis quisque tunc cum gaudio frui incipit, quæ prius cum labore sibi præparavit. Quid ergo t dies mortis, nisi



dies sollemnis, in qua jam amplius non restat facultas operandi; sed quisque operum suorum mercede et præmio incipit præteritorum laborum perfrui? Sequitur:

Et non fuit in die furoris Domini qui effugeret, et relinqueretur. Dies furoris Domini, finis uniuscujusque est: quando quisque cum magna districtione ad reddendam rationem compellitur: qui prius in vita sua quasi in die misericordiæ benigne ad pœnitentiam expectabatur. Recte ergo de die furoris dicitur: Non fuit qui effugeret, et relinqueretur. Effugeret, scilicet conscientiam: relinqueretur ad pœnitentiam. Notate, quod dicitur: Effugeret, scilicet conscientiam. Magnum tormentum est conscientia mala. Sed peccatores hic conscientiam suam effugere possunt: dum exterioribus delectationibus dediti, mala, quæ intrinsecus tolerant, interim quodammodo oblivioni tradunt. Minus enim nunc spina conscientiæ cor pungit: quando eam (ut ita dicam) terrenæ delectationis fascia obvolutam contegit. Ibi autem conscientiæ tormentum effugere non potuerunt: quia cum sensus carnis in morte foris clauditur, horror præteritorum malorum intus animo aperitur. Tunc infelix anima licet sero compuncta vellet jam per pœnitentiam emendare, quod non potest per conscientiam effugere. Sed justo Dei judicio, quæ prius tempora pœnitenti indulta sibi neglexit, jam non relinquitur, quia semel irrevocabili sententia emissa, amplius in hac vita ad pœnitentiam non differtur.

A Recte ergo dicitur. Non fuit in die furoris Domini qui effugeret, et relinqueretur. Quia cum mortis hora supervenerit, tunc quisque ad conscientiam suam redire compellitur, ut ipsa comitante ad excipiendam sententiam judicis sine dilatione ab hac vita transferatur. Sequitur: Quos educavi, et enutrivivi, inimicus consumpsit eos. Ne solam conscientiæ pœnam peccatoribus præparari putes: quos educavi, inquit, et enutrivivi, inimicus consumpsit eos: quia nimirum virtus, et pulchritudo mortalium corporum, quæ hic per illicita desideria pas-citur, illic a tortoribus angelis in tormentis consumetur. Quæ ideo consumi dicitur, non quod substantiam pœna in nihilum redigat, sed quia dolor usque ad intima naturæ percurrens, nihil intactum relinquat. Vel per educatos, et enutritos, ipsa desideria accipere possumus: quæ educantur per superbiam, et enutriuntur per luxuriam: et quanto magis ea explendo pascimus, tanto magis ad appetitum inflammamus. Hos educatos, et enutrito: consumit inimicus, id est, mors de qua dicit Apostolus: *Novissime inimica destruetur mors (I Cor. xv)*: quia nimirum dum caro nostra in morte succiditur, omnia ejus desideria pariter extinguuntur, sicut per Psalmistam dicitur: *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum (Psal. xlv)*. Et considera quam convenienter in fine lamenti novissima pœna peccatoris animæ plaugitur: ut intelligamus ea mala, quæ prædicta sunt, quanta miseria consequatur.

## ADNOTATIUNCULÆ ELUCIDATORIÆ

### IN JOELEM PROPHETAM

(JOEL. I.) *Verbum Domini, quod factum est ad Joel filium Phatuel.* HISTORICE. In verbo tria attenduntur: strepitus, forma, intellectus. Strepitus persecutionis, forma vocis, intellectus dictionis. Percussio ad vindictam, vox ad lætitiā, dictio refertur ad gratiam. Siquidem vindicta percutit, vox consolatur, dictio erudit. Erudit filium, consolatur mercenarium: erudit filium avidè doctrinam patris sitientem; consolatur mercenarium sub judicio anxie laborantem. Filium erudit gratia obedientiæ, mercenarium consolatur merces justitiæ, servum affligit pœna malitiæ. Strepitus ad pœnam, vox ad præmium, intellectus ad gratiam refertur. Hæc igitur tria considerantur in verbo, quod factum est ad Joel: quia in exitu sequentis prophetiæ, et inimicorum ultio, et populi afflicti consolatio, et electorum prædicatur eruditio. Strepitus igitur soni ad adversarium: forma vocis ad populum afflictum; intellectus verbi ad mentem fit propheticam, et electorum chorum. Quia unde adver-

sarius affligitur, inde populus consolatur: quod mens electorum intelligens in Domino gloriatur. Strepitus igitur fit ad carnales, forma dirigitur ad animales, intellectus ad spirituales. Hoc autem verbum Domini est. In Domino quoque tria considerantur: ultio, zelus, retributio. Ultio culpæ, zelus disciplinæ præmium obedientiæ. *Vivus igitur sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio accipiti (Hebr. iv)*. Penetrabilis; quia destruit malitiam; vivus quia reducit ad gratiam; efficax, quia perducit ad gloriam. Penetrabilis est judicio, vivus factus, efficax promisso. Penetrabilis, quia judicium absconditur. Vivus, quia factum ejus fructificatur. Efficax, quia promissum ejus non inficiatur. Penetrabilis, quia destruit fortiter; vivus, quia vivificat potenter; efficax, quia reddit efficaciter. Hoc est verbum Domini, quod factum est ad Joel filium Phatuel.

Primo videndum est, quod constructio eclipsim patitur. Dicendo enim verbum Domini, quod fac-